



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Titvlvs II. De Foro Competente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

nario v. g. Episcopo posse curatorem dare ad litem. argum. l. ult. §. Sed et si. C. de administratione tutorum. Vbi generaliter permittitur iudici, vt personæ, quæ in iudicio legitimè stare nõ potest, litem curatorem det.

§. In huiusmodi.

PARAPHRASIS.

Tametsi filiusfamilias in alijs causis absque patris assensu in iudicio stare nequeat, potest tamen in causis Ecclesiasticis, & dependentibus seu connexis, cum pater in ijs immiscere se non debet.

4 **NOTANDVM I.** Filiusfamilias tametsi clericus factus sit, aliquatenus tamen manet in potestate patris, videl. quoad iura temporalia, ita vt bona eius aduentitia, quæ ante clericatum ipsi acquisita sunt, pater administret, vt vsum fructum inde capiat, non autem, quæ post clericatum acquirit. *Qua de re dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 8. n. 2.*

5 **NOTANDVM II.** Filiusfamilias, tametsi sit maior natu, in iudicio regulariter stare non potest sine assensu patris. l. ult. §. Necessitate. C. de bonis, quæ liberis. Intellege, quòd suo nomine seu in causa propria agere, aut respondere non possit absque consensu

patris, sed potest nomine alieno, seu vt procurator, si maior natu est. c. qui generaliter, 6. de Procurator. in 6.

Dixi autem *regulariter*, sunt enim casus aliqui, quibus filiusfamilias sine consensu patris agere potest, videlicet de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, item si pater absens sit, & procuratorem non reliquit, aut si demens, vel qui rebus præse non potest. Denique secundum quosdam in causis bonorum aduentitiorum, quorum administratio patri non competit, & in omnibus causis summarijs & extraordinarijs, vt latius tradit Durandus in speculo lib. 1. part. 2. tit. de actore. §. 1. n. 22. Et hæc quoad causas politicas. In spiritualibus vero filiusfamilias, si pubes sit, liberè in iudicio agit, non requisito patre, cum patria eius potestas ad iura spiritualia & his connexa se non extendat; si autem filiusfamilias impubes sit, tum curator ad litem ei dabitur à Iudice Ecclesiastico, quemadmodum etiam in causa civili agenti, v. g. circa peculium castrense, si ætatem legitimam, videl. xxv. non habet, procurator ad litem à Iudice civili dandus est, intellige, si ordo iudiciarius cum litem contestatione seruandus sit. *Qua de re Durandus l. c. n. 3.*

TITVLVS II. DE FORO COMPETENTE.

CAPITVLVM I.

Si clericus.

PARAPHRASIS.

Si clericus contentionem habeat aduersus clericum, in prima instantia deferatur ad proprium Episcopum; non prohibentur tamen partes cum Episcopi sui consensu etiam alium Ecclesiasticum iudicem sibi deligere.

NOTANDVM

I ad Iudicem partès veniant; ante omnia attendendum, an is iurisdictione præditus sit, seu num Iudex sit competens, & ius dicat in loco competente seu iurisdictioni suæ subiecto. Et hoc dicitur forum competens, nam licet forum primæuà institutione significet locum publicum, ad quem res venales feruntur, postea tamen translatum est ad significandum locum, in quo lites publicæ exercentur, iuxta c. forus 10. de verborum significatione.

SUMMARIVM.

1. Consilium interdum accipitur pro consensu.
2. Episcopus & alius Ordinarius potest causam alteri delegare, non requisito consensu partium.
3. In prima instantia clericus conveniri debet coram suo proprio Episcopo, qui est ordinariè Episcopus domicilij, & originis: illud tamen principaliter est, cuius etiam maior habenda est ratio in ordine ad iurisdictionem.
4. In Germania per constitutionem domicilij extra locum originis amittuntur iura originalia.
5. Factus Religiosus non amittit iura originis. Idem de clericis dicendum.

NOTANDVM Vn. Consilium interdum accipitur pro consensu; nam in textu dicitur, quòd clerici controuersias suas cum consilio Episcopi ad alium Iudicem deferre possint, id verò propter materiam subiectam, vt iura iuribus concordent, explicari debet de assensu iuxta c. significasti, 18. hoc tit. & Gl. notauit hic, ver. consilio, licet alioquin, si propriè loquendum sit, consilium differat à consensu.

QUÆRITVR I. Vtrum Episcopus vel alius Ordinarius causam alteri delegare possit, non requisito consensu partium. Resp. Affirmatiuè, quia potestas delegandi competit ex lege, non ex partium voluntate; textus autem noster non loquitur de delegatione causæ, sed de prorogatione iurisdictionis alienæ, quam clerici facere non possunt sine Ordinarij sui assensu.

QUÆRITVR II. Quis cenferi debeat proprius Episcopus clerici conueniendi, ad quem actor, siue clericus, siue laicus sit, actionem vel accusationem in prima instantia deferre debet. Resp. Ordinariè esse Episcopum domicilij, seu vbi clericus habitationem habet animo permanendi, argum. l. incola, 29. ff. ad municipalem, & habetur infra in c. dilecti, 17. Dixi ordinariè, si enim clericus in alia diœcesi, in qua non residet

beneficium habeat, tum in causis ad beneficium spectantibus coram Ordinario eius loci conueniendus est, quemadmodum & vassallus clericus vel laicus, licet alioquin subiectus non sit, tamen in causis pertinentibus ad feudum coram domino feudi conueniri debet. c. ceterum, 5. hoc tit.

Deinde præter domicilium habitationis est etiam domicilium originis cit. l. incola, vbi dicitur, incolam non tantum iurisdictione eorum subiectum esse, apud quos habitat, sed etiam maior, apud quos ex natiuitate cuius est. Ex quo etiam inferri potest, clericum conueniri posse coram Episcopo originis, præsertim si etiam ab eo ordinatus sit.

Verum imprimis notanda est doctrina Gl. in c. statutum, 11. ver. vnam diœtama, de rescript. in 6. Quòd in pertinentibus ad iurisdictionem maior habenda est ratio domicilij, quàm originis. Et Nauarrus lib. 1. consil. 4. de constitut. n. 5. ait, licet domicilium originis firmiter sit, quàm domicilium habitationis, quippe quod arbitrarià migratione mutatur. l. domicilium, 20. ff. ad municipalem, tamen domicilium habitationis est principaliter in ordine ad iurisdictionem; discrimen autem hoc est iuxta Bartol. in cit. l. assumptio, n. 2. ff. ad municipalem, quòd subiectus iurisdictioni ratione domicilij etiam absens citari possit ad parendum iurisdictioni, sed subiectus ratione originis conueniri non potest, nisi in loco præsens sit.

His verò addendum, quod notauit Gaill lib. 2. obseru. 36. n. 10. In Germania nostra per constitutionem domicilij extra locum originis omnino amitti iura originalia, eo ipso, inquit, quòd cuius originarius domicilium aliò transfert, desinit esse cuius, tum quoad munera seu præstationes, tum quoad iurisdictionem, adeò vt quibusdam vrbibus ob hanc liberationem aliquid tributi iuxta æstimationem bonorum pensandum sit, quod vocant *die Nachsteuerung*.

Neque verò his obstat speculatio Pauli Iurisconsulti in cit. l. assumptio, quòd ius originis immutabile sit, quippe naturale: verum enim id est quoad hoc, vt qui origine Dilinganus v. g. est, non possit hanc patriam

migrando tollere, sed bene, vt iura patriæ amittere possit. Cōsentiunt cum his, quę dixi lib. 5. Th. mor. tr. 9. c. 9. in fine. Videri etiam potest Abbas, vbi ait, quodd factus religiosus non amittat iura originis, licet ab oneribus ciuitatis liberetur, in qua natus est, idemque de clericis dici debet.

CAPITVLVM II.

Nullus.

PARAPHRASIS.

Nemo Iudicum secularium Presbyterum, Diaconum aut quemcunq; clericum vel minorem Ecclesię absque permissu Episcopi capere aut condemnare pręsumat, quodd si id fecerit, ab Ecclesia, cui iniuriam irrogauit, tamdiu eiectus maneat per excommunicationem, donec reatum suum agnoscens se emendarit.

SUMMARIVM.

1. *Iudex secularis immunitatem ecclesiasticam violans, Clericos vel Religiosos capiendos, aut constringendos, sacrilegium committit si quidem per se, & propria auctoritate hoc facit; non item si ex Episcopi commissione aut mandato saltem tacito.*
2. *Per minores Ecclesia intelliguntur Clerici in minoribus, laici oblato, & clerici coniugati, si cum vnica eaque virgine copulati in habitu & tonsura clericali alicui ecclesia seruiant.*
Et hi in causis criminalibus & ciuilibus gaudent priuilegio fori & canonis, etiã coniugati; horum autem vxores gaudent quidem priuilegio fori, non autem canonis.
3. *Excommunicatio, que hic infertur iudici seculari, ecclesiasticas personas capienti aut constringenti, est sententia lata.*

NOTANDVM I. Iudex, qui Ecclesiasticam immunitatem violat, clericos

aut Religiosos capiens, ad tribunal suum trahens, aut condemnans, iniuriam Deo & Ecclesię eius infert, ideoque sacrilegium committit, quippe potestatem inconcessam in personas sacras contra iura diuina pariter ac humana sibi vsurpans.

NOTANDVM II. Licet Iudex secularis per se, seu suã auctoritate ecclesiasticam personam capere aut constringere nequeat, potest tamen id facere ex Episcopi commissione, aut mandato saltem tacito, ita vt minister sit Ecclesiastici Iudicis, vti docui lib. 4. Th. mor. tr. 9. c. 4. n. 6.

QVÆRITVR I. Quinam intelligantur per minores Ecclesię. Resp. Vel intelliguntur clerici in minoribus, si habitum & tonsuram gerentes in Ecclesię seruitio sint, isti enim fori Ecclesiastici priuilegio gaudent, teste Concil. Trident. sess. 23. c. 6. de reformat. & explicauit lib. 2. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 3. Vel intelliguntur laici oblato, id est, qui edito voto continentię ad perpetuum alicuius Ecclesię seruitium se addixerunt, de quibus mentio est in Clem. 1. de decimis, in fine. & dixi cit. c. 5. n. 4. §. Similia. Huc etiam annumerantur clerici coniugati, si cum vnica, eaque virgine copulati in habitu & tonsurã clericali alicui Ecclesię seruiant, iuxta Trident. l. c. & c. vn. de Cler. coniug. in 6.

Addunt verò Imola n. 3. Abb. n. 7. quodd & vxores horum eodem priuilegio fori in criminalibus gaudere debeant. argum. l. cum quædam, 19. ff. de iurisdic. & l. vlt. C. de incolis. quibus habetur, quodd vxor sequatur iurisdictionem mariti. Verum non consequenter loquitur Ioann. Andreas, quem sequitur hic Abb. n. 7. Couarr. in pract. qq. c. 3. n. 7. quodd oblato & clerici coniugati in criminalibus tantum causis exempti sint, non in ciuilibus.

Contrarium verò recte post Archidiaconum & Lapum docet Francus in cit. c. vnico, §. Et, n. 4. Doctor Maranta de iurisdic. p. 4. casu 157. Si enim persona exempta sit à Magistratu seculari, ita vt nec peculiari-ter puniri possit, sequitur omninò exemptam esse etiam quoad causas ciuiles seu pecuniarias. Atqui clericos coniugatos v. g. dicto modo

modo exemptos esse, habetur expressè in cit. c. vnico. Ergo, &c. Probatur maior: Si enim Iudex secularis jurisdictionem habeat in personam in ordine ad bona eius, poterit eam cōpellerere per coërcitionem seu pœnam saltem pecuniariam, cum alioquin eius potestas in personam frustranea esset, quam obrem exinde quod dominus feudi in causis feudalibus jurisdictionem habeat in clericos vafallos, eòsque proinde personaliter citare possit, consequenter infertur, quod eosdem inobedientes & feudi legum transgressores mulctare possit, vti docui lib. 4. Th. mor. tr. 9. c. 5. n. 3.

Sed dubium est de dictis personis, num etiam priuilegio canonis, si quis suadente, gaudere debeant: Facilis est responsio, clericos coniugatos gaudere priuilegio canonis, vti docui cit. part. 2. c. 5. n. 3. At verò mulieres eorum non gaudent, cum nec clerici sint, nec personæ religiosæ, vt pono. Quid verò sentiendum sit de personis conuersis, explicauimus in cit. cap. 5. n. 4.

3. **QVÆRITVR II.** An excommunicatio, quæ hoc capite Iudici seculari clericum constringenti infertur, sit sententiæ latæ, an ferendæ. Posterius hoc docet Glossa hîc: sed dicendum est, esse sententiæ latæ, nam iste loquendi modus, excommunicatus, ab Ecclesiâ præcisus sit, significare potest sententiam latam secundum Glossam celebrem in c. 2. ver. innodetur, de hæreticis in 6. quare ita explicari debet, si alia iura id continent, sicut in proposito casu, excommunicationem esse latæ sententiæ. c. nuper 29. de sententiâ excommunicationis, & alia.

CAPITVLVM III.

Sanè.

SUMMARIVM.

1. Ratione rei, de qua agitur, sortitur quis forum, vbi res est.
2. Hoc autem intelligendum est in casu, quo controuersia sit in re, quæ sub alieno iudice sita est. & de actione reali, non personali, item non de rebus mobilibus, sed immobilibus tantum.

3. *Malè hinc colligitur, quòd clerici in causis ciuilibus coram seculari iudice conueniri possint.*

SI duo Episcopi diuersarum prouinciarum controuersiam habeant v. g. de parochiâ, ad cuius diocesim pertinere debeat, tum illis Primas seu Metropolitanus Iudices det ad agnoscendum, in cuius prouinciâ sit Ecclesia, de qua contenditur. Ex hoc colligit Glossa, ver. prouincia, quòd ratione rei, de qua agitur, sortiatur aliquis forum, argum. l. vlt. C. vbi in rem actio.

Hoc dictum in primis intelligi non debet absolute, sed respectiue, si videlicet controuersia sit de re, quæ sub alieno Iudice sita est, iuxta cit. cap. vlt. deinde intelligi debet, non actione personali, sed reali tantum. Ita enim docent Legistæ cum Bartolo in l. vlt. quòd in actionibus personalibus aliquis nõ sortiatur forum ratione rei sitæ in territorio alieno. Idem quoque docet Imola hîc n. 3. Felin. ver. ex dicto Innocentij, quòd ratione rei sitæ sub alienâ iurisdictione non possit persona constringi, v. g. Comes Imperij, qui habet ædes Vlmæ, non est magistratui Vlmensi subiectus in personâ, sed tantum ratione ædium, consequenter coram magistratu non potest conueniri ad aliquid dandum, vel faciendū actione personali, v. g. vt ædes, quas alicui donasse perhibetur, actori tradat, sed tantum reali actione, si alius ædes vt suas vendicet, vel hypothecæ nomine obligatas asserat, deinde intentatâ reali actione non potest persona constringi seu obligari, sed tantum res, vt videlicet, si Comes à Magistratu citatus non compareat, actor mittatur in possessionem rei petitæ, ipsemet verò Comes vt personaliter contumax damnari nunquam potest.

Denique intelligi debet regula non de rebus mobilibus, sed tantum immobilibus, quippe quæ propriè sitæ seu positæ dicuntur, vti docet Bartolus & Baldus in cit. l. vlt. v. g. si ciuis Lauinganus transeat per hanc ciuitatem in equo Titij ciuis Dilingani, non potest cōtra illum ne realem quidem actionem instituere coram magistratu isto, cum nec

nec secundum personam, nec ratione equi subiectus sit huic iurisdictioni cuius Lauinganus (nisi dicatur equum hinc abduxisse) si tamen suspectus sit de fuga aut fraude, cogi potest, ut satisfidet per pignora; sin nolit aut non possit, tunc sequestrari debet equus interrim, donec causa cognoscatur à Iudice rei, uti docet Abbas in c. vlt. n. 14. Felinus n. 20.

3 Ex his iam apparet, quam malè aliqui Legistæ allegantes dictam regulam, quòd aliquis sortiatur forum in loco, ubi res sita est, inde colligant, quòd clerici in causis ciuilibus coram seculari Iudice conueniendi sint còtra expressum textum, statuimus, C. de Episcopis, cum enim clerici exempti sint à iurisdictione seculari, proinde de illis iudicandum est, sicut de extraneis; qui autem extranei & personaliter subditi non sunt, conueniri non possunt actionibus personalibus, v. g. ex mutuo, emptione, sed neque realibus, ita ut personæ ipsæ cogantur ad comparandum, &c. Excipio causas feudales, eò quòd ratione feudi persona alioquin non subdita obligationem personalem contrahat erga dominum. Confirmatur, si Iudex in causis ciuilibus iurisdictionem habet in clericos, sequitur, quòd eos non tantum citare, sed etiam ut contumaces declarare, punire, & ad obseruationem latæ sententiæ compellere possit; consequens autem sacris canonibus apertè repugnat, ergo & antecedens: probatur sequela, quia omnis iurisdictione inermis est, nisi habeat vim coercitiuam seu coactionem aliquam iuxta l. vlt. ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictione.

Quod attingit ad textum huius capituli, perperam plerique Canonistæ inde colligi putarunt, quòd reus alioqui non subditus conueniri possit coram Iudice loci, ubi res sita est. Causa errandi illis fuit, quia non inspexerunt integrum caput Concilij Africani sub Bonifacio & Cælestino cap. 88. & Concil. Mileuitanum relatum in c. placuit, 16. q. 6. quibus locis decernitur, ut expulsis tunc Donatistis & Pelagianis Episcopi Catholici non cunctentur recipere parochias ad suam dioccesin pertinentes; sin verò controuersia sit de aliqua Ecclesia, ad hancne, vel

illam pertineat dioccesin, nullus Episcopus sibi talem Ecclesiam etiam cum Metropolitano, aut Primatis assensu attribuere præsumat, sed per arbitros à Metropolitanò datos vel à partibus cum eiusdem consensu electis componatur. Quòd si verò accidat, ut diuersarum prouinciarum Episcopi de parochia aliqua contendant, tum is Primas Iudices det, in cuius prouincià situs est locus facer, de quo controuersia existit.

Secundum hanc germanam huius capituli expositionem nulla est difficultas, cum enim neuter Episcopus in possessione parochiæ fuerit, idè coram neutrius Metropolitanò causa juridicè decidenda esset, sed optimè constitutum à Concilio Africano nationali, ut talis causa per arbitros componeretur, quos is metropolitanus dare debeat, in cuius prouincià parochia sita est, quandoquidem is ratione rei aliquid plus potestatis habere videtur in causam, licet non in personam Episcopi extranei, sin autem Episcopus extraneus fuisset in possessione parochiæ, quam alter Episcopus suam vendicaret, tum in optione actoris huius esse, num illum conuenire malit coram metropolitanò rei, seu possessoris, qui illum personaliter constringere posset tanquam subditum, an verò coram metropolitanò rei sitæ, qui tamen in possessorem nihil personaliter attentare posset, sed tantum in rem.

CAPITVLVM IV.

Si quis contrà.

PARAPHRASIS.

Permittendum nequaquam est, ut clerici à laicis teneantur; sed si quispiam contra clericum querelam aut controuersiam habeat, Episcopum eius adeat, qui si suspectus sit actori, deputandus erit executor (seu ab ipso Episcopo, seu, si & hoc actor refugerit, à Vicario seu delegato Sedis Apostolicæ) qui partes cogat, ut communi consensu Iudices seu potius arbitros eligant, & ab his quidquid fuerit constitutum,

tatum, Episcopus vel Legatus curabit executioni mandari.

Hic est sensus huius capituli secundum originalem lectionem apud B. Gregorium I. in registro lib. 7. epist. 74. quam ad Bonifacium scripsit Corsicæ defensorum, ac delegatum Sedis Romanæ.

SUMMARIUM.

1. Episcopus loci, & Apostolica Sedis Legatus in iurisdictione ordinaria concurrunt; Legatus autem suscipere causas subditorum non debet, nisi ob defectum Episcopi.
2. Iudex ordinarius v. g. Episcopus ut suspectus recusatus, si recusandi causa notoria sit, vel coram electis arbitris probata, debet dare delegatum partibus non suspectum, vel partes cogere, ut in arbitros compromittant, vel denique causam ad superiorem Archiepiscopum, vel Papam deferenda.
3. Arbitri iuris laudum seu sententiam à se dictam exequi non possunt, sed executio eius fieri debet à Iudice ordinario.
4. Delegatus Principis, v. g. Papæ ecclesiastico delegato potest per se sententiam suam executioni mandare.

NOTANDUM I. Episcopus loci, & Apostolica Sedis Legatus in iurisdictione ordinaria concurrunt, sed non debet Legatus causas subditorum suscipere, nisi ob defectum Episcopi, quia videlicet terminare negligit, vel quia recusatur, aut ab eo appellatur, ut colligitur ex hoc c. & habetur in Conc. Trid. Sess. 24. c. 2. de reform.

NOTANDUM II. Iudex etiam ordinarius, v. g. Episcopus ut suspectus recusari potest, quo casu, si recusandi causa notoria, vel coram arbitris communi consensu electis probata sit, iuxta c. speciali 6. de appellat. Iudex ordinarius superfedere debet, & vel delegatum ex consensu recusatorem deputare, vel partes cogere, ut in arbitros compromittant, vel denique causa ad Superiorem, videlicet Archiepiscopum aut Papam defe-

ratur, ut colligitur ex hoc c. & cit. c. speciali iuncta Gl. causa 11. q. 1. licet aliter hic doceat Abbas deceptus falsa huius capituli lectione.

NOTANDUM III. Arbitri iuris, qui à Iudice ordinario cum partium consensu statuuntur, laudum seu sententiam à se dictam exequi non possunt, quia solum constituti censentur ad pronuntiandum, ideoque pronuntiatione facta extinguitur omnis eorum potestas, executio autem sententiæ latæ ab ordinario Iudice fieri debet, ut colligitur ex hoc cap. Verum, quod Iudex delegatus ab Episcopo sententiam suam exequi, atque actorem in possessionem mittere possit, recte hic docet Gl. ver. ipsius, Abbas n. 37. Imola n. 2. contra Alexandrum n. 34. Felinum num. 5. Quare cum hæc res valde controuersa sit, ut videre est apud Menochium casu 74. idem attendendum est tum ad consuetudinem loci, tum ad verba commissionis, num contineant mandatum faciendi iustitiam &c. Sed de Principis, videlicet Papæ, ecclesiastico delegato dubitari non debet, quin sententiam suam exequi queat, c. pastoralis, §. præterea, de officio delegati.

CAPITVLVM V.

Si clericus.

PARAPHRASIS.

Clericus rem aliquam tanquam suam vel Ecclesiæ suæ repetit à laico possessore; sed laicus ait rem illam clerici aut Ecclesiæ non esse: quæritur, ad quem Iudicem hæc deferenda sit. Respondit Alexander III. secundum iuris communis præscriptum ad secularem iudicem pertinere, quia actor forum rei sequi debet, licet in multis regionibus per consuetudinem aliud receptum sit.

SUMMARIUM.

1. Laicus à clerico conueniendus est coram seculari Iudice actione personali, & reali; nisi causa profana ad Ecclesiasticum

sticum deferantur ob defectum Iudicis secularis; vel causæ adhiereat qualitas, ob quam ad forum ecclesiasticum pertineat.

2. *Si qualitas fundans iurisdictionem Iudicis quæstioni principali intrinseca est, sufficit, si actor eam expressè vel implicitè alleget, ad hoc, vt Iudex ad causam principalem procedere possit.*
3. *Si autem talis qualitas non principaliter deducatur in iudicium, adeoque non sit causa intrinseca, sed accessoria, tunc prius saltem summarie, seu potius extraordinarie cognoscenda est.*

NOTANDUM Vn. Si clericus contra laicum agat personali aut reali actione, ad proprium eius Iudicem, videlicet secularem, causam deferre debet, vt etiam habetur in c. cum sit, hoc tit. & sumitur ex l. vlt. c. vbi in rem actio.

Excipe 1. Si consuetudine receptum sit, vt Iudices Ecclesiastici causas laicorum etiam profanas cognoscant, Et testatur Glossa hïc, quod Papa frequenter clerico conquerenti de laico etiam in causa profana rescriptum impertiatur.

Excipe 2. Nisi causæ profanæ ob defectum Iudicis secularis ad Ecclesiasticum deferantur, de quo infra in c. licet.

Excipe 3. Nisi causæ adhæreat qualitas, ob quam ad Iudicem ecclesiasticum pertinere possit. Exempli causa, si parochus agat contra laicum tanquam furem rei Ecclesiæ suæ, tunc qualitas hæc sacrilegij efficit, vt causa sit mixti fori, ideoque fundat etiam ecclesiastici Iudicis auctoritatem ac iurisdictionem, sicut docet Felinus hïc, n. 4. vbi ait, si in libello clerici agentis contra laicum tanquam possessorem rei ecclesiasticæ non allegetur vis, oppressio, aut furtum, remittenda est causa ad forum seculare. Neq; verum est, quod Abbas hïc ait, n. 12. ex eo solum, quod res, quæ ad Ecclesiam pertinebat, apud laicum reperiatur, præsumendam esse fraudem, potuit enim laicus rem tenere in feudum, vel vt emptam, vel vt bonâ fide præscriptam

(dummodò non sit sacrata) vt notauit Imola hïc col. vlt.

QVÆSTIO est, si qualitas aliqua fundet iurisdictionem iudicis, num sufficiat, vt eam actor expressè proponat, ad hoc, vt Iudex ad causam principalem procedere possit, an verò necesse sit, vt prius de qualitate saltem summarie, vel potius extrajudicialiter cognoscatur, si reus conuentus illam neget ad huius iudicis forum declinandum. Multa hïc docent Antonius, Imola, & alij, existimantes hanc ipsam Quæstionem in hoc capitulo examinari, quod verum non est, vt rectè notauit hïc Felinus, quare ex hoc cap. nullum pro hac quæstione argumentum desumi potest.

Resp. tamen I. Si qualitas fundans iurisdictionem Iudicis quæstioni principali intrinseca sit, sufficit, si actor eam expressè vel implicitè alleget. Exemplum iam posui: si clericus laicum accuset, quod ex Ecclesiâ aliquid furripuerit, & laicus neget, fundata est iurdictio Ecclesiastici iudicij; non enim laicus crimen negare potest in ordine ad declinandum forum huius Iudicis, cum hæc ipsa causa seu quæstio directè in iudicium deducatur, & super eâ inter actorem & reum lis contestanda sit. Ita docet Innocentius in c. ceterum, §. de iudic. Gl. in Clem. dispêdio. sam c. vsuris, Gaill lib. 1. obseru. 3. 1. ex quorû doctrinâ sumitur, quod dixi: si dubium de qualitate fundante iurisdictionem Iudicis principaliter in iudicium deducatur, non esse ante litem contestationem examinandum, cum super eo lis contestanda sit. Ceterum si postea in liti processu appareat, furtum sacrilegum commissum non esse, tum ab hoc iudicio reus absolui, & actor in expensas eodem nari debet, sicuti notat Innocentius in cit. c. cum sit.

Dico II. Si qualitas fundans iurisdictionem Iudicis non principaliter deducatur in iudicium, ideoque non sit controuersia intrinseca, sed accessoria, tunc prius saltem summarie, seu potius extraordinarie cognoscenda est, quàm ad causam principalem deueniatur. Ita docet Dominicus in c. 1. §. contra-hentes.

hentes, ibid. Francus n. 6. de iudicijs, Gaill l. c. Exemplum habes, si extraneus coram magistratu isto conueniatur super contractu venditionis, ille autem absolute neget se contraxisse, tunc hæc exceptio non subleuat illum, quia hæc causa principaliter in iudicium venit iuxta primam assertionem; si autem excipiat se contraxisse extra territorium, tum Iudex prius examinare debet, vbi contractum fuerit: cum enim hæc loci circumstantia directe non deducatur in iudicium, ideo antequam lis contestetur, seu iudicium incipiat, ea examinari debet, vt appareat, num Iudex ad causam principalem procedere possit, necne. Simile est, si quis aliquem vt clericum conueniat super debito pecuniario, is autem excipiat se clericum non esse. Eadem ratione docent Logici, quod proposita quaestione, an homo risibilis sit, præcognoscendum non sit, quale est subiecti, quia hoc in quaestione versatur, ideoque demonstrari, non præcognosci debet, sed proposita quaestione, cur homo risibilis sit, præcognosci debet qualitas subiecti, quia ea in quaestione supponitur, seu super eâ quaestio fundatur.

CAPITVLVM VI.

Ex transmissâ.

PARAPHRASIS.

Nobilis quidam Rudolphus tres milites Ecclesiæ Trecensi subiectos conuenire voluit coram Episcopo Trecensi super quadam possessione, sed Comes de Capra (seu vt alia lectio habet de Campis) prohibuit militibus sub fidelitatis obligatione, ne super feudali possessione, quam ab ipso haberent, coram Iudice ecclesiastico respondeant; nihilominus Episcopus Trecensis in eosdem tanquam contumaces excommunicationem promulgauit. Quamobrem ipsi Alexandro III. questi sunt. Is rescripsit ad Archiepiscopum Senonensem, vt inprimis milites ab excommunicatione absoluat, deinde iubeat contro-

siam inter milites & nobilem terminari per dominum feudi, sin autem is malitiosè differat, tum ipsemet Archiepiscopus tanquam Papæ delegatus definiat. Hic est verus sensus huius cap. sicuti legi potest in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. part. 47. vbi de potestate iudicum, c. vlt. textus autem capituli nostri vitiatu est, quamobrem Canonistæ variè legunt & intelligunt, suspicor causam errandi inde ortam, quia cum in veteri exemplari scriptum esset Ecclesiæ Tau, aliqui legerunt Tuæ, cum legendum esset Trecensis, nam ita in quibusdam exemplaribus reperiri restatur Alexander, tunc verò omnis sublata est difficultas.

S V M M A R I V M.

Quaestio feudalis inter clericum & laicum à domino feudi cognoscenda est; neq; eo inuito vasallus subicere se potest alieno Iudici, prorogando eius iurisdictionem.

NO T A N D V M I. Vasallus non potest super causâ feudali inuito domino subicere se Iudici alieno, prorogando iurisdictionem eius, sicut nec clericus absque Episcopi sui consensu coram alieno Iudice conueniri potest, c. significasti l. 8. hoc tit.

Pro huius intellecta aduertenda est doctrina Bartoli in l. n. 8. de noui operis nunciatione, quod interdum aliqui præcisè subiecti sint magistratui ratione nudi exercitij iurisdictionis, vt quia in loco domicilium habent, & tales in certâ controuersâ possunt se subicere alteri Iudici sub eodem principatu; interdum verò aliqui strictius subiecti sunt iurisdictioni propter specialem obedientiam, quam alteri veluti domino aut Prælati suo debent, quomodo Vasalli obligantur domino in pertinentibus ad feudum. Clerici præsertim beneficiari Episcopo suo, multò magis religiosi Prælati suo, & tales personæ non possunt se iurisdictioni alienæ subicere sine consensu proprii Iudicis.

NO T A N D V M II. Propter negligentiam vel malitiosam dilationem iudicis secularis

laris deuoluitur iurisdiclio ad Iudicem ecclesiasticum. c. licet, 10. hoc tit.

CAPITVLVM VII.

Verum.

PARAPHRASIS.

Cum cuiusdam Ecclesie Præpositus prædia quædam feudalia obtineret, circa ea lis orta fuit, & dubitabatur, coram quo Iudice agitanda esset. Respondit Alexander III. si feuda illa ad Ecclesiam pertineant, quod Episcopus, postquam consecratus fuerit, cognoscere debeat, alioquin imperiali iudicio causa relinquatur.

S V M M A R I V M.

1. *Causa feudalis coram immediato Domino feudi cognosci debet.*
2. *Si feudum est merè ecclesiasticum, & Prælatus ecclesie, v.g. Episcopus negligat administrare iustitiam, ad eius superiorem Archiepiscopum, vel Papam recurrendum est. Si autem feudum non est merè ecclesiasticum, sed originaliter seculare, Imperator supplebit negligentiam Episcopi.*
3. *Si feudum non est patrimoniale seu paternum, sed Ecclesie, ob crimen Prælati non amittitur, sed Prælatus priuari potest in tempus vite sue perceptione fructuum omnium, si ad mensam eius spectat, vel partis competentis, si ad mensam Prælati & Capituli pertinet, & Capitulum delicti particeps non fuit.*
4. *Si feudum alicuius clerici patrimoniale seu proprium sit, eo priuari potest ob crimen, v.g. prodicionis, parricidij, &c.*
5. *Clericus habens feudum à laico, censetur ut laicus; & potest à domino feudi ad tribunal vocari, & ob crimen, ut alij vasalli, puniri.*
6. *Quæstio feudalis ad ecclesiam pertinens orta, vacante sede episcopali, cognosci à Capitulo non potest, sed expectari de-*

bet, dum nouus Episcopus consecratur, nisi feudum communiter ad Episcopum & Capitulum pertineat.

NOTANDVM I. Si quis litem habet cum vasallo circa bona eius feudalia, tunc attendendum est, qui eius dominus immediatus sit, coram eo enim causa feudalis cognosci debet, ut dixi in c. ceterum, 5. de iudicijs. Quamobrem respondit Papa hic, ad Episcopum pertinere causæ feudalis cognitionem, si Præpositus feudum habeat in causâ cathedrali; sin verò non ab Ecclesiâ, sed ab Imperatore immediate accepit, tum ad imperatorium tribunal litem deferendam esse.

Sed quid si feudum ecclesiasticum quidem sit, sed Prælatus Ecclesie videlicet Episcopus negligat iustitiam administrare, quis supplebit negligentiam eius? Resp. cum Antonio hic & Alexandro n. 10. distinguendum esse, num feudum sit merè Ecclesiasticum, non acceptum à domino laico; hoc casu ad Superiorem Episcopi recurri debet, videlicet Archiepiscopum, ut compellat Episcopum; vel ad Papam, ut Episcopi negligentiam suppleat. An verò non sit feudum merè Ecclesiasticum, sed originaliter seculare, quia v.g. ab Imperatore datum est Ecclesie, ab Ecclesia autem subfeudatio facta Præposito; hoc casu Imperator supplebit negligentiam Episcopi circa causas feudales.

QUÆRUNT hic I. Si Episcopus aliusue Præpositus crimen committat, ob quod secundum leges feudorum puniendus, aut feudo priuandus sit, quod à domino seculari v.g. Imperatore habet, num is de hoc crimine cognoscere, pœnâque inferre possit.

Resp. & Dico I. Si feudum non sit patrimoniale seu paternum, sed Ecclesie, tum certum est, quod ob crimen Prælati non amittitur, quia delictum personæ non debet in Ecclesie detrimentum redundare, regula 76. in 6. nihilominus Prælatus priuari potest in tempus vitæ suæ fructuum perceptione, vel omnium, si feudum ad mensam eius spectat, vel partis competentis, si communiter ad men-

ad mensam Prælati & capituli pertinet, capitulum autem delicti particeps non fuit, uti notat hic Alexander n. 16. Rosenthal de feudis c. 10. cap. 3. n. 2. Etenim, licet in causâ communi, si ea indivisibilis sit, socius à socio, qui damnari non potest, vel in integrum restitui debet, communionis commodum reportet, quâ ratione hic Felinus ait, si duo fratres feudum indivisum possideant, & unus tantum feloniam committat, neutrum priuari posse, & Gaill lib. 1. obseru. 37. n. 2. quod laicus ratione connexitatis cum Ecclesiastico gaudeat priuilegio restitutionis in integrum, argum. l. si is qui, 19. ff. de libertate legatâ, ubi Bartolus ait, quod socius incapax legati vel hæreditatis capax fiat propter socium capax, si videlicet cum bonorum societatem haberent, ipsis aliquid restitutum sit. Hæc, inquam, licet vera sint, tamen ad casum nostrum non rectè aptantur, cum fructus diuidi possint, ideòque Episcopus puniri, absque eo quod capitulum puniatur.

4 Dico II. Si feudum alicuius clerici patrimoniale seu proprium sit, tum haud dubiè priuari potest ob crimen v. g. proditionis, parricidium, ita Innocent. hic n. 2.

Sed id dubitatur, an de crimine clerici in ordine ad amissionem feudi cognoscere possit dominus feudi secularis, videlicet Imperator aut Rex, an verò causa ad Iudicem ecclesiasticum deferri debeat, ita ut si ipse iudicet crimen commissum, postea dominus feudum auferat, sin verò clericus in foro ecclesiastico absoluat, dominus feudi quiescere debeat. Hanc partem tradit Innocentius, & sequi videtur Ioan. Andreas n. 4. Abbas n. 3. quemadmodum clericus, inquit, si ex consensu Episcopi in foro seculari testetur, & testimonium falsum proferat, ad Iudicem ecclesiasticum mittendus est, ut eius crimen puniatur. Verumtamen praxis quorundam regnorum aliud obrinet, ut clerici, ipsique Episcopi, si ratione feudali bonorum Imperatori aut Regi subiecti sint, ab ipso ad tribunal vocari possint, & ob crimen puniri, sicut alij vasalli & ministri, quam praxin Suarez defendit lib. 4. defens. fidei catholicæ, cap. 34. n. 26. & dixi de hoc

lib. 4. tract. 9. cap. 5. n. 3. Nam feuda, quæ à dominis laicis sunt, originaliter laica censentur, tametsi verò Ecclesiasticis quandoque conferantur, vel clericis ob consuetudinem loci relinquuntur, id tamen fit eo pacto, ut omnia onera subeant, sicut laici, seu per se, seu per alios; ideò dici solet, quod clericus habens feudum à laico, censetur ut laicus. Quod autem de teste dictum est, non est simile, is enim testificando in iudicio seculari nullam ibi voluntariam obligationem contrahit, sic, ut clericus acceptando feudum seculare. Consequenter dicendum est, si dominus feudi iudicari, clericum ob crimen feudo priuatum esse, quod sententiam suam exequi possit, adeò ut si clericus executioni se opponat, seu parere recuset, illum expellere queat, sine periculo excommunicationis, ut hic Innocentius n. 2. contra Abbatem n. 23. dummodò id fiat cum moderamine inculpatae defensionis, ut in personam clerici nil attentetur per se, sed solum quatenus est necessarium ad executionem sententiæ iustæ, si clericus contraueniat.

NOTANDVM II. Si circa feudum ad Ecclesiam pertinens quæstio oriatur, vacante sede episcopali, capitulum non potest esse Iudex, sed expectari debet, donec Episcopus nouus consecratur. Ita Gl. hic, ver. quæstio mota. Est autem intelligendum de ijs feudis, quæ à solo Prælato conferuntur, ita ut si feuda ob aliquem casum aperiantur, ad mensam episcopalem deuolui debeant. Ratio est, quia capitulum cathedrale vacante sede non succedit in ijs iuribus, quæ Episcopo competunt jure speciali seu extraordinario, uti hic notauit Ioan. Andreas n. 9. ubi simili ratione ait eum Dominico in c. 1. quod facultas Doctores creandi Episcopo competens non transeat ad capitulum. Sed aliam rationem esse aiunt Ioan. Andreas, & Abbas n. 9. Si feudum communiter ad Episcopum & capitulum pertineat, tum sede vacante de controuersis ortis cognoscat capitulum, consequenter etiam dicendum, quod capitulum, si vacante sede administrationem habeat, feuda ad Prælatum & capitulum simul spectantia, quæ communiter infeudari solent,

lent, iterum infeudare possit; secus autem, si ad solum Prælaturum spectent: sin denique ad solum capitulum, tum etiam viuente Prælato, & non requisito eius consensu infeudare poterit, sicuti annotauit Rosenthal c. 4. conclus. 26. num. 2.

CAPITVLVM VIII. Cùm sit.

PARAPHRASIS.

Malefactores, qui Ecclesias spoliando, vel aliter iniuriando sacrilegi censentur, possunt à Rectoribus Ecclesiarum, sub quo ipsi maluerint iudice, vel seculari vel Ecclesiastico conueniri.

S V M M A R I V M.

1. *Crimina alia sunt merè ecclesiastica; alia merè ciuilia; alia denique mixti fori in quæstionibus facti, non iuris.*
2. *Furtum, rapina iniusta rei occupatio pertinentis ad ecclesiam, vel quemlibet locum sacrum inter sacrilegia crimina in re canonico numerantur; non autem vis aut fraus illata ecclesiastica persona in bonis suis priuatis.*
3. *Non rectè Magistratus secularis cognitionem de crimine sacrilegij sibi tanquàm propriam uendicare potest.*
4. *Iudex ecclesiasticus in crimine mixto contra laicum procedere potest vsque ad capturam & carcerem.*

ADVERTE I. Quòd crimina alia sunt merè ecclesiastica, videlicet quæ versantur circa materiam propriè spiritualem, & explicauì lib. 4. Th. mor. tr. 9. c. 2. n. 2. v. g. Simonia, hæresis, sacerorum Ordinum abusus: ait tamen Felinus hïc n. 4. post Imolam, quòd Iudex secularis post latam sententiam contra simoniacum, eum in foro suo punire possit, quòd intelligi debet, si in foro ecclesiastico non satis punitus videatur, iuxta ea quæ docet Farinacius q. 186. de hæresi. Alioquin verò quòd simoniæ crimen perinde ac hæresis verè ecclesiasticum sit, ex communi do-

cet Clarus n. 7. Farinacius in praxi q. 8. n. 26. Alia verò crimina sunt merè ciuilia, quæ circa materiam ciuilem versantur, v. g. furtum rei profanæ, occisio hominis laici. Alia denique crimina mixti fori, quæ ad vtrumque Iudicem spectare possunt, ea videlicet, quæ cùm legibus ciuilibus prohibita sint, quia iuramentum aut naturali repugnant, interim verò specialiter etiam aduerlantur fidei ac religioni, cuius eorum Ecclesia gerit. Talia sunt sacrilegium, fortilegium, periurium, blasphemia, apostolicarum literarum falsatio.

ADVERTE II. Quòd dicitur, crimina esse mixti fori, intelligitur in quæstionibus facti, non juris, si inquam, quærat, num Titius laicus calicem ex Ecclesiâ furatus sit, vel talem blasphemiam dixerit, tum secularis æquè ac ecclesiasticus Iudex cognoscere, & punire potest; si autem juris quæstio principaliter aut incidenter in iudicium veniat, videlicet, num talis elocutio periurij aut blasphemie crimen sit, tum eius cognitio ad solum Ecclesiasticum spectat, vti docui cit. cap. 2. n. 9. vbi id declarauì in crimine vsuræ, esse id merè seculare, nisi dubitetur, num contractus aliquis vsurarius sit, hoc enim casu Ecclesiasticus tantum cognoscat.

ADVERTE III. Quòd furtum, rapina, iniusta occupatio rei pertinentis ad Ecclesiam vel quemlibet locum sacrum, videlicet monasterium aut Xenodochium, Episcopi auctoritate erectum, inter sacrilegij crimina iure canonico numeretur, vt hïc & in c. conquestus infra hoc tit. quia cùm bona ista ad Dei cultum à fidelibus oblata sint, quodammodo sacra censentur, eorumq; violatio aut raptus sacrilegium, vti explicauì lib. 4. Th. mor. tr. 10. c. 7. n. 14. Idq; magis locum habet, si persona sacra seu ecclesiastica violetur per fornicationem aut stuprum, vel indignè tractetur per verberationem. Verumtamen si clericus, seu ecclesiastica cuius personæ in bonis priuatis vis aut fraus inferatur, nō potest id censeri sacrilegij crimen, quia bona clericorū eò ipso, quòd propria eorum sunt, dici non possunt sacra, seu cultui diuino dicata.

Quamobrem non placet, quòd Canonistæ

com.

communiter hic docent, Innocentius, Imola, Abbas, Alexander, quod furtum aut quælibet fraus commissa à laico in bonis clerici sit mixti fori, ideòque reus sub utroque Iudice conueniri possit, & detur locus præuentioni. Verùm nullus canon afferri potest, quo id decernatur de bonis proprijs clericorum, ergo stamus regulà utroque foro receptà, quòd actor forum rei sequi debeat, quod etiam in plerisq; regnis pro consuetudine receptum est, uti testatur Couarruias in pract. quæst. c. 10. n. 1.

³ His adde, tametsi communiter receptum sit, quòd sacrilegium sit mixti fori, uti videre est apud Farinacium in praxi q. 8. n. 132. Clarum q. 37. n. 6. quia tamen in ciuili foro furtum rei non consecrat, tametsi ad Ecclesiam pertineat, vel in Ecclesia existat, inter sacrilegij crimina numerari non solet, hinc est, quòd eiusmodi criminis cognitionem aduersus laicum fermè magistratus secularis, tanquam propriam, vendicat: sed non rectè, ut ex hoc capitulo apparet, & ex cit. c. conquestus, imò verò in quibusdam regnis neque de propriè dicto sacrilegij crimine, v.g. si laicus calicem sacrum ex Ecclesia furetur, permittunt Ecclesiasticum iudicare, uti testatur Clarus n. 6.

⁴ ADVERTE IV. Cùm Iudex Ecclesiasticus in crimine mixti fori v. g. Clerici percussione aut furto rei sacræ aduersus laicos iudicalem cognitionem habeat, sequitur, quòd reum citare, capere, incarceratione, eundem eodemnare, ac pecunià alijsque pœnis conuenientibus mulctare possit, uti hic docet Felin. n. 18. & certum esse id oportere tradit Couarruias in pract. q. c. 10. n. 2. ut contraria opinio defendi nequeat, quia alioquin iurisdictione elusoria esset, si Iudex reum constringere & mulctare non possit: nihilominus Clarus docet, quòd Iudex Ecclesiasticus, videl. Episcopus, in crimine mixto v. g. sacrilegio contra laicum procedere tantùm possit ad censuras sine captura aut carcere, quamobrem Clarus n. 47. ait, quòd in hoc casu non detur locus præuentioni, neq; vnus Iudex alterum impediatur, quia vterque procedere potest aduersus reum, Ecclesiasticus

per censuram, secularis ad pœnam fiscalem aut publicam. Sed huic doctrinæ repugnat textus huius capituli, cùm Pontifex æquiparet Iudicem Ecclesiasticum & secularem, & dicat in electione actoris esse, coram quo contendere malit, alioquin hæc crimina non essent mixti fori, cùm id omnibus mortalibus commune sit, ut Prælatus per viam denuntiationis procedendo satisfactionem imponere possit criminoso, cùmque reluctantem per censuras compellere etiam præmissà cognitione iudiciali, quandoquidem excommunicatione, aliæue censura inferri non potest à Iudice Ecclesiastico, nisi prius citatà parte, & cognitã causã, sicuti hic docet Abbas. n. 9.

CAPITVLVM IX.

Quòd clericis.

PARAPHRASIS.

Cælestinus III. scribens ad Iudices Ecclesiasticos mandat eis, ut non patiantur clericos Parisijs commorantes ad iudicium seculare trahi, cùm id sacris canonibus repugnet, si clerici contra aliquos, vel aliqui contra illos etiam in causis ciuilibus seu pecuniarijs controuersiam habent, ea in foro Ecclesiastico secundum ius canonicum decidatur.

SUMMARIVM.

1. *Causa non tantum criminales, sed etiam ciuiles seu reales, quas vel clerici inter se, vel laici aduersus clericos instrunt, coram Ecclesiastico, non seculari Iudice tractanda sunt.*
2. *Si clericus laico litem moueat coram Iudice seculari circa ea, qua pertinent ad ordinem procedendi, seu lites ordinationem, Clericus seruare debet leges & consuetudines fori secularis, in quo litigatur, modo rationabiles sint, nec libertati ecclesiastica repugnantes.*
3. *Circa decisionem causã iudex in foro seculari etiam agente clerico, vel Ecclesiastico contra laicum indicat secundum leges seculares, salua tamen exemptione & libertate ecclesiastica.*

1 **NOTANDVM** Vn. Causæ non tantum criminales, sed etiam ciuiles seu reales, quæ vel clerici inter se, vel laici aduersus clericos instituunt, coram Ecclesiastico non seculari iudice tractari debent, ita arbitror intelligenda esse verba huius c.

2 **QVÆRUNT** Canonistæ cum Gl. ver. aliquid, si clericus laico litem moueat coram iudice seculari, vtrum ea decidenda sit secundum leges & consuetudines fori secularis, an canonici? Respondeo & Dico I. Circa ea quæ pertinent ad ordinem procedendi seu litis ordinationem, clericus seruare debet leges & consuetudines fori secularis, in quo litigatur, modò rationabiles sint, nec libertati Ecclesiasticæ repugnent. Ita Hostiensis in summa de consuet. n. 12. Imola, Abb. n. 10. & c. seq. n. 14. vbi generalem regulam tradit, quòd in preparatorijs & ordinarijs iudicijs seruandæ sunt leges loci, in quo iurisdictione exercetur. Et Gl. in Clem. dispensationem, ver. vsuris, de iudicijs, vbi ait, quòd Papa non potest iudicarium ordinem fori secularis tollere, quamobrem clericus agens contra laicum, libellum offerre debet, cautionem præstare, ferias & tempus instantiæ litis seruare, sicuti in foro ciuili exigitur, quæ admodum & vice versà laicus in foro Ecclesiastico litigans eiusdem leges seruare tenetur. Vide quæ docet Baldus, & quæ dixi in c. Ecclesia, 10. de constitut. vbi similiter dictum est, si clericus contractum celebret, vel testamentum condat in loco subiecto seculari Magistratui, quòd eiusdem loci leges & consuetudines rationabiles seruare debeat.

3 Dico II. Quod attinet ad decisionem causæ, Iudex in foro seculari etiam agente clerico vel Ecclesià contra laicum iudicat secundum leges seculares, saluà tamen exemptione & libertate Ecclesiasticà. Ita Gl. & Imola l. c. Declaratur exemplis. Si clericus in foro ciuili agat contra laicum ad præstanda sibi legata ex testamento minus solemniter, v. g. non habente testes, in tali casu iudicabitur contra clericum secundum leges ciuiles, quippe quibus clericus etiam obligatur, vti dixi in cit. c. Ecclesia, & lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 13. Sin autem Ecclesia in foro seculari

petat legata ex testamento minus solemniter, iudicari debet non secundum ciuiles leges, quia causa Ecclesiæ in hac re priuilegiata est seu exempta, sed secundum ius naturale & canonicum, vti dixi lib. 3. Th. mor. tr. 5. c. 2. Sed & vice versa, si clericus vel laicus contra clericum agat in foro seculari circa materiam profanam, plerumque iudicabitur secundum ciuiles constitutiones, v. g. si quis à clerico emptore prædiū iure propinquitatis retrahere velit iuxta ea, quæ dixi in c. constituti, 8. de in integrum restitut. Item si quis à clerico exigat legata ex testamento minus solemniter, repellendus erit iuxta sanctiones imperiales, licet spectato iure canonico ea solemnitas v. g. tantus testium numerus non requiratur.

Neque obstat his responsio huius capituli, quòd iudex Ecclesiasticus causas clericorum canonico iure definire debeat, cum enim ius canonicum leges ciuiles, quæ irrationabiles non sunt, admittat, & à clericis quoque obseruari velit, c. 1. de noui operis nuntiat. satis conuenienter iuri canonico Iudex ciuiles causas decidit, quando partes ad obseruationem legum ciuiliū compellit.

CAPITVLVM X.

Licet.

PARAPHRASIS.

Laici quidam Vercellenfes declinantes ciuitatis suæ consules, super causis temporalibus literas à Papa quandoque impetrarunt. Qua de re apud Innocentium III. questi sunt consules; is autem scribit Vercellensi Episcopo, vt si contigerit tales à laicis literas impetrari, eas irritas esse declaret, dummodò consules parati sint conquerentibus iustitiam exhibere: si verò accidat, eos, qui causas suas & querelas ad tribunal seculare deferunt, à consilibus grauari, tum illis liceat, sicut hætenus consuetum fuit, ad Episcopum, aut, si malint, ad Papam appellare, & præsertim eo tempore, cum vacante imperio ij, qui à iudicibus opprimuntur, ad superiorem magistratum recursum

cursum non habent: quòd si verò iidem consules à partibus tanquam suspecti recusati fuerint, tum per arbitros communiter electos causa suspicionis cognoscenda erit, & si ea iusta fuerit iudicata, etiam hoc casu ad Episcopum vel Papam recurri debet.

SUMMARIUM.

1. Rescriptum à laico contra laicum in causa non ecclesiastica impetratum à Papa, est ipso iure irritum, nisi iudex secularis partes grauet, vel iustitiam eis administrare nolit; tum enim ad Episcopum vel Papam recurri potest.
2. In foro civili iudex ordinarius recusari non potest ad eum effectum, vt remoueatur, sed vt socius ei adiungatur. In foro autem canonico recusari potest etiam vt remoueatur, modo causa recusationis exprimat; que si dubia sit, ab electis arbitris causa suspicionis cognoscenda est.
3. Iudices delegati iure canonico & civili recusari possunt ob causam iustam.

NOTANDVM I. Rescriptum à laico contra laicum in causa non Ecclesiastica impetratum à Papa, est ipso iure irritum. Rationem dat Innocentius hic, quia in causis temporalibus Christianorum Papa iurisdictionem non habet, nisi temporalis suæ iurisdictioni subiecti sint.

Excipitur verò hic, nisi Iudex secularis partes grauet, vel iustitiam eis administrare nolit, tum ad Episcopum vel Papam recurri potest: id verò (vti in textu indicatur) dicitur propter consuetudinem, quæ eo loco & tempore viguit, alioquin verò spectato communi iure si Iudex secularis inferior aliquem grauet, vel iustitiæ administrationem neget, ad Superiorem ipsius, videl. Imperatorem, vel Regem, eius querela deferri debet, vti hic tradit Innocent. n. 1. Imola n. 10. sed tum demùm ad Iudicem Ecclesiasticum deueniendum est in causa temporalis, si nullus Iudex secularis reperiatur, qui iusti-

tiam administret, vti hic notauit Abb. n. 9. & consentit c. si duobus, 7. §. denique, de appellat.

NOTANDVM II. Circa recusationem Iudicum ordinariorum variæ sunt tribunali-um consuetudines, nam in foro civili Iudex ordinarius recusari non potest ad eum effectum, vt remoueatur, sed ut socius ei adiungatur, sicuti docet Bartolus in Authent. si verò contigerit. n. 1. & fusè Iason n. 4. C. de iudicijs. vbi addunt, opus non esse causam recusationis allegare aut probare. At verò in canonico foro Iudex etiam ordinarius recusari potest, ita vt remoueatur, dummodò causa recusationis exprimat, de qua si dubitetur, num iusta sit, arbitri eligendi erunt, qui de causa suspicionis cognoscant, & si iusta sit, procedatur eo modo, quo dictum est in c. 4. hoc tit.

Quare hic duo specialia erant propter loci consuetudinem: primum, quòd etiam in civili foro consules ex iusta causa, eaque probata recusari poterant, vt remouerentur, secundum quod consules recusati non poterant causam alteri delegare, neque ad Superiorem, sed ad Episcopum vel Papam remittere debebant. Ita Gl. hic, & Abb. in fine huius c.

Quòd verò attinet ad Iudices delegatos, ij non tantum iure canonico ob causam iustam recusari possunt c. causam, 17. c. cum super, 23. c. suspicionis, 39. de offic. delegati, sed etiam civili iure, vti constat ex l. apertissimi, 16. C. de iudicijs. & l. vlt. C. eodem, vbi dicitur, si Iudex delegatus recusetur ob causam iustam coram ipso, aut, absente eo, coram loci præside propositam, tum partes cogendas esse, vt arbitros eligant, quorum sententiam exequetur Iudex à Principe delegatus, qui ob eandem causam executor ibi vocatur, interprete Gl. in cit. l. apertissimi, si autem appellatum sit ab arbitris, non ad delegatum (quippe suspectum ac recusatum) sed ad Superiorem seu Principem appellatio deuoluetur.

* * *

CAP-

Ex tenore.

PARAPHRASIS.

Vidua quædam controuersiam habebat cum aliquo super hæreditate sibi debitâ, eam Papa quibusdam Iudicibus Ecclesiasticis delegauerat, sed Comes de Britannia, sub cuius iurisdictione temporali contendentes partes erant, volebat, vt controuersia in suo tribunali definiatur, promittens se iustitiam plenè administraturum: sed cum Iudices delegati acquiescere nollent, Comes questus est Innocentio III. qui respondit, viduis se ita patrocinium debere, vt tamen alijs iniustitiam non irroget, idèò mando, vt si causa, de qua agitur, Ecclesiastica non sit, eâ supersedeatur, quòd si verò vidua iustitiam obtinere nò possit apud Iudicem secularem, tum ipsi causam decidere aggrediantur.

SUMMARIUM.

1. *Papa iniustitiam committeret, si se immisceret causis temporalibus spectantibus ad forum secularis Principis, nisi propter necessitatem, quando in iudicio seculari superiori & inferiori iustitia administratio haberi nequit.*
2. *Causa dotis & alimentorum ad iudicem tantum secularem pertinet, si per se ac principaliter tractetur in iudicio; si autem orta controuersia de diuortio, quod fori ecclesiastici est, accessorie de ijs agatur, ad eundem illa iudicem ecclesiasticum spectabit.*

NOTANDVM I. Si Papa causis temporalibus spectantibus ad forum Principis secularis se immisceret, viâ ordinariâ & exclusa necessitate, iniustitiam committeret. Dico *seclusa necessitate*, quia si Principes iustitiam fidelibus non administrarent, tunc Iudex Ecclesiasticus, præsertim Papa, tanquam omnium Christianorum pater, succur-

rere ac supplere debet, quæ est communis omnium sententia.

De eo verò dubitatur, si inferior Iudex v. g. Consul vrbis, aut Comes iustitiam administrare negligat, num statim ad Episcopum vel Papam recurri possit, an verò prius recurrendum sit ad superiorem Iudicem secularem, videl. Regem vel Imperatorem, vt Comitem compellat, vel causam ad se auocet, Resp. distinguendum esse, quòd aliæ sint personæ, quæ in iure miserabiles censentur, vt pupilli, orphani, pauperes, oppressi, & secundum quosdam viduæ, aliæ autem personæ non miserabiles: de his certum esse debet, Iudicem Ecclesiasticum se nò immiscere, quamdiu recursus est ad Iudicem secularem superiorem, vt docet Innoc. in c. significantibus 38. de offic. delegat. Imola hîc n. 2. Quòd verò atinet ad personas miserabiles, vt Innoc. refert. l. c. nam aliqui dicebant personis miserabilibus Iudicem Ecclesiasticum semper iustitiam administrare posse, etiam nullâ præcedente negligentia Iudicis secularis, vt Imola hîc, n. 2. Alij verò id admiserunt in causis modicis, non item in grauib; alij denique vniuersim dicebant nec miserabilium personarum causas à Iudice Ecclesiastico cognoscendas esse, nisi propter necessitatem, quia in iudicio seculari tam inferiore quàm superiore patrocinium & iustitiæ administrationem consequi non possunt, & hæc sententia nunc ferme in præxi obtinet.

QVÆRIT hîc Abbas n. 6. si vidua hæc dotem suam petiuisset ab hærede mariti defuncti, ad quem Iudicem hæc causa dotis principaliter in iudicium deducta pertinuisset? Resp. cum Hostiensis, quòd causa sit mixta fori: idem docet Innoc. de donationibus inter virum & vxorè, quia ad Ecclesiam etiam spectat defensio dotium: sed contraria sententia tenenda est apud Sanchez lib. 10. de matr. q. 8. n. 15. Causam dotis sicut & alimentorum, cum sit merè profana, ad Iudicem tantum secularè pertinere, si per se ac principaliter agatur, sin autem orta controuersia de diuortio, quæ propriè ad tribunal Ecclesiæ

spe-

ſpectat. c. tuę. 5. de procur. accēſſoriē etiam agatur de dote & alimentis mulieri præſtandis, ad eundem Iudicem Eccleſiaſtiſimum ſpectat cognoscere, vti habetur expreſſe in cit. c. 5. de procurator. & docui lib. 4. Th. mor. tr. 9. c. 2. n. 5. §. illud.

CAPITVLVM XII.

Si diligenti.

PARAPHRASIS.

Archiepiſcopus Piſanus in ea erat opinione, quòd clericus, præſertim aduerſario ſuo volente, in cauſis ciuilibus ſeu temporaliſus priuilegio fori renuntiare, & Iudicem ſibi ſecularem conſtituere poſſit, id eòque obligare iuramentum ſuper hoc editum à clerico; ſed Innoc. III. hunc errorem redarguens miratur, quòd immemor ſit legis §. 8. ff. de pactis: ius publicum priuatorum pactis mutari non poteſt, & eorum, quæ leguntur in Conc. Mileuitano (potius Toletano 3. c. 13.) & Carthaginienſi 3. c. 9. Si clericus clericum non ad Episcopum ſuum, ſed ad ciuilem Iudicem traxerit, vt cauſam perdat, & à communionē ſeparetur, c. inolita 42. cauſa 11. q. 1. item ſi clericus in iudicio ſeculari conueniri elegerit, ſi quidem cauſa criminalis ſit, deponatur, ſin verò ciuilis, tum amittat id, quod ipſi in iudicio ſeculari ad iudicatum eſt, c. placuit 43. cauſa 11. q. 1. ex quibus manifeſtum eſt, quòd clerici nec volentes nec coacti priuilegio fori ſui renuntiare poſſint, cum hoc priuilegium non ſit eorum perſonis priuatim indultum, ſed toti collegio clericorum, adeòque ſit ius publicum, cui priuatorum factio derogare nequit, ſed nec iuramentum obligat ad obſeruationem, quòd illicitè & ſacris canonibus reprobatae pactioni adiungitur.

SUMMARIVM.

1. Repugnat S S, canonibus, vt clerici ſeu in

criminalibus, ſeu in ciuilibus cauſis coram ſeculari iudice conueniantur; excipiuntur cauſe feudales, in quibus clerici habentur vt laici.

2. Poſteſt quis renuntiare priuilegio dato in fauorem proprium ac priuatum, non autem dato in fauorem publicum, neque iuramentum tali renuntiationi additum obligat.
3. Iudici naturali renuntiare non poteſt.
4. Vti neque diuino, ſi præcipiens aut prohibens ſit; neque humano eccleſiaſtico, aut ciuili ſi certam formam aut ſolemnitatem in actu neceſſariò obſeruandam præſcribit; ſi aliquid ſtatuat ob publicum fauorem.
5. Si quid humano iure ſtatutum eſt in fauorem plurium, vnus renuntiare non poteſt cum aliorum præiudicio, ſi cauſa inſeparabilis ſit.
6. Quiſque renuntiare poteſt beneficio ſeu priuilegio priuatum ſuum fauorem concernenti.
7. Niſi beneficium ob ætatis imbecillitatem conſeſſum ſit, aut aliquid ſtatutum, non tantum in fauorem alicuius, ſed etiam in odium aut pœnam alterius.
8. Renuntiationo contra mores bonos ciuiles aut naturales non tenet.

NOTANDVM I. Sacris canonibus repugnat, ſi clerici ſeu in criminalibus ſeu in ciuilibus cauſis coram ſeculari Iudice conueniantur: excipiendæ tamen ſunt cauſe feudales, in quibus clerici cēſentur vt laici, ſicuti dixi in c. verum, 7. hoc tit. Vide plura, quæ congeſſit Gratianus cauſa 11. q. 1.

NOTANDVM II. Quiſque renuntiare poteſt priuilegio dato in fauorem proprium ac priuatum, non autem dato in fauorem publicum, ſed neque ſi eiufmodi renuntiationi ſeu pactioni iuramentum apponatur, obligationem aliquam parit. Ita Innocent. hic & alij.

Pro pleniore huius materiæ intellectu ita 3 diſtinguendum eſt cum Bartolo in l. ſi quis, ff. de pactis. Vel aliquis renuntiat iuri naturali, vel poſitiuo; ſi primum, irrita eſt renuntiationo,

tiatio, cum ius naturale immutabile sit: hoc modo nemo renuntiare potest patriæ & origini suæ, quamuis renuntiare queat priuilegijs patriæ, quippe iure positiuo constitutis, ut dixi in c. 1. hoc tit. Simili ratione renuntiare non potest iuri sanguinis seu consanguinitatis, licet renuntiare possit hæreditati ex hoc iure deriuatæ, nam ius agnationis immutabile est, l. 34. de pactis, sed ius hæreditatis prouenit ex gentium lege, adeoque iure positiuo, & ipsum ius gentium non præcipit hæreditatem à proximis consanguineis acceptari, sed defert volentibus. Præterea renuntiare non potest filius alimentis necessarijs, sicuti nec filia doli necessariæ, quippe quæ loco alimentorum succedit, ut dixi lib. 5. Th. mor. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 7. & 8.

Eademque ratione innocens in causâ criminali non renuntiare potest necessariæ suæ defensionis, ut docet Gl. in l. pactum, 46. ver. cum liceat, quia homo non est dominus vitæ ac membrorum, sed custos, l. liber homo, ff. ad legem Aquiliam, igitur ea ab interitu defendere debet, si sine suo & alieno incommodo graui possit. Nec obstat, quod Glossator Felini hic obijcit praxin iudicum secularium, qui maleficos examinatos & cõfessos de se faciunt renuntiare defensionibus & retractationibus; id enim à ludicibus fieri potest ex præsumptione delicti, quæ ex iudiciaria confessione oritur, atque ad vitandam inconstantiam rei.

Nihilominus si quis crimen morte dignum falsò confessus sit, non obstante suâ non reuocandi promissione, reuocare tenetur, dummodò spes aliqua sit non frustrâ reuocaturum, iuxta ea, quæ dixi lib. 3. Th. mor. tr. 6. c. 5. n. 24.

4 Venio ad ius positiuum, quod primò distinguitur in diuinum & humanum. In iure diuino si præcipiens aut prohibens sit, v. g. ut baptismus suscipiatur, ne matrimonij vinculum aut indiuidua societas soluatur, nemo renuntiare potest. Maranta 5. 19. 28.

De iure humano cum ecclesiastico tum ciuili ponendæ sunt assertiones. I. Si ius certam formam seu solemnitate in actu ne-

cessariò obseruandam præscribat, ei renuntiare non potest, v. g. ut testamentum habeat 7. testes, ut matrimonio parochus cum alijs testibus intersit, ut alienationi Ecclesiasticæ auctoritas Superioris & Capituli consensus adhibeatur, nam eiusmodi formæ seu solemnitates censentur substantiales, sine substantia autem res non consistit, & ita notauit Felinus hic n. 7. ubi ait, quod ijs, quæ à iuris aut iudicis auctoritate pendent, renuntiare non potest.

II. Si ius statuatur aliquid principaliter ob publicum fauorem, ei renuntiare non potest. v. g. in Trident. sess. 25. c. 15. de regular. ubi decernitur, ut nemo religionem profiteatur ante annum 16. nemo item, nisi annum continuū post habitum religionis susceptum in probatione steterit, nullam item donationem facere possit Nouitius vsque ad duos menses, qui professionem statim antecedunt. Vide quæ dixi in c. cum accessissent, 8. de Constit.

III. Si quid statutum sit in fauorem plurium, vnus renuntiare non potest cum aliorum præiudicio, si causa inseparabilis sit. Ita Innoc. c. ex conquestione, 10 n. 3. de restit. spoliatorum. Felinus hic n. 32. & sumitur ex regula 29. in 6. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Hac ratione in l. vlt. statutum est, ut tutor tutelæ renuntiare non possit absque contutoris consensu, quia eius etiam interest. Sic frater, qui in communiõne consistit cum fratre suo, priuilegijs clericorum renuntiare non potest sine consensu alterius. Præterea si reus dilaciones impetrauit, & postea poenitens facti ijs renuntiare velit, non admittitur renuntiatio inuito actore, quia facta est dilatio communis, ut intra hoc tempus etiam actor probationes suas deducere possit, iuxta l. petendæ, 16. & singulariter notauit. Durandus in speculo lib. 2. part. 1. de dilation. §. 4. n. 16. Ceterum si fauor priuatus, cui quis renuntiat, separari possit, ita ut integrum maneat ius seu commodum publicum, aut personæ alterius, tum valet renuntiatio, argum. c. cum tempore, 5. de arbitris, ubi Gl. ver. abiurasse, ait, quod beneficiatus renuntiare possit iuri sibi com-

competenti, quod eo nunquam ipsemet uti velit, dummodo Ecclesiæ & successoribus ius integrum maneat.

6 IV. Quisque renuntiare potest beneficio seu privilegio priuatum suum fauorem concernenti, ita hic, & in c. ad Apostolicam, 16. ad regular.

7 Excipe I. Nisi beneficium ob ætatis imbecillitatem concessum sit, sic enim beneficio restitutionis in integrum minor natu renuntiare non potest, nisi renuntiet, cum iam maior factus est. Ita Durandus in speculo lib. 2. part. 3. veram rationem afferens, quia in hac ipsa renuntiatione læditur, ideoque contra eam ipsam restituendus esset, si valeret. idem docet Abb. hic n. 12. Imola n. 10.

Excipe II. Si quidpiam statutum sit, non tantum in fauorem alicuius, sed etiam in odium aut pœnam alterius, ei renuntiare nequit. Sic filiusfamilias Senatufconsulto Macedoniano recusare non potest, quo cautum est, ut ex mutuo accepto sine patris consensu aut mandato efficaciter non obligetur, quia id non tam in eius fauorem, quam in pœnam creditoris decretum est, uti dixi in lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 15. n. 3. & docet Gl. recepta, in l. ult. ver. sui iuris. C. ad Senatufconsultum Macedonianum. Innocent. hic, & Ioann. Andr. n. 16. Veruntamen in cit. l. ult. excipitur filiusfamilias miles, qui etiam sine patris voluntate ex pecunia sibi credita obligatur, quia in pluribus articulis filijfamilias milites non ab similes censentur hominibus, qui sui iuris sunt, & ex præsumptione omnis miles non creditur in aliud quidquam pecuniam accipere & expendere, nisi in causas castrenses.

8 Excipe III. Si renuntiatio censeatur esse contra bonos mores ciuiles aut naturales, v. g. pactum instituendi certum hæredem, non reuocandi testamentum, aut non reuocandi donationem secutâ ingratitudine donatarij, non reuocandi feudum secutâ feloniam, alioque delicto vassalli, item non accusandi de facinore committendo, non puniendi iudicem, etsi malè iudicârit per culpam latam aut dolum, nō exigendi rationem administrationis à tutore &c. de quibus videri potest Fe-

linus hic n. 27. & quæ dixi lib. 4. Th. mor. tr. 3. Vtrum verò huiusmodi pactiones seu renuntiationes propter appositum iuramentum seruari debeant, dixi in c. 2. de pactis, & copiosè in cit. tr. 3. c. 6.

CAPITVLVM XIII.

Cùm contingat.

PARAPHRASIS.

Ex Honorio II. quæsiuit Episcopus Beluacensis, si clerici existentes in seruitio Capituli Cathedralis, aut aliorum clericorum delinquant, num permittere possit, ut accusatores querelam deferant ad eos, in quorum obsequio versantur, quia talem iudicandi de eorum causis ipsi potestatem sibi vendicant, licet non ad excommunicandum, aut aliter coercendum. Respondit Papa, quod ad ipsum Episcopum tanquam ordinarium loci querelæ deferri debeant, maxime si clerici intra dioccesin delinquant, præterquam, si Capitulum, siue in quorum obsequio clerici existunt, per speciale priuilegium vel consuetudinem aliquam in eos iurisdictionem compararint.

SUMMARIVM.

1. Dominus domus, vel paterfamilias propriè non habet iurisdictionem in famulos & officiales suos, uti nec in uxorem & liberos; habet tamen ius cuiusdam gubernationis cum modica punitione iunctum.
2. Episcopus est ordinarius Iudex clericorum in diocesi sua. Capitulum autem cathedrale de iure communi ne quid in singulos Canonicos iurisdictionem habet.
3. Clericus, ut est persona priuata, non potest vsucapere fori externi iurisdictionem ad excommunicandum &c. sed tantum ratione dignitatis, administrationis, seu officij, quod gerit.
4. Ad præscribendam iurisdictionem contra loci Ordinarium, si alius coloratus titulus

b 2 lus

lus concessionis desit, requiritur scientia & patientia eius, contra quem præscribitur.

5. *Praelati ecclesiarum conuentualium in utroq; foro, interno & externo, iurisdictionem habent in Collegium, seu in eos, à quibus eliguntur.*
6. *Iurisdictione his Praelatis, si exempti non sunt, competit cumulatim cum Episcopo, ut in arbitrio actoris sit reos coram Praelatis, vel coram Episcopo conuenire.*
7. *Praelatus Episcopo inferior se habet territorium, intra cuius fines iurisdictione se extendit, extra eos iudicialiter procedere non potest: Si non habet territorium, sed tantum ei iurisdictione cõpetat in personas secundum se, tunc in omni loco diœcesis ius dicere potest.*
8. *Iurisdictione Praelatorum Religiosorum extenditur ad omnem locum.*
9. *Vicarius Episcopi seu Officialis certum tribunal habet, quod Consistorium Episcopi vocatur, ex causa tamẽ rationali in quouis loco diœcesis honesto & idoneo iudicium exercere potest; modo partes non trahantur ad locum à Consistorio non nimis remotum.*
10. *Episcopi expulsi à sua diœcesi, ita ut nec per suum Vicarium in ea ius dicere ipsis liceat, possunt id dicere in aliena vicina diœcesi, modo subditi ultra duas dietas à fine diœcesis computandas non euocentur.*
11. *Possunt Episcopi clericos suae diœcesis non tantum punire ob crimina commissã intra, sed etiam extra diœcesin.*

NOTANDVM I. Dominus domus vel paterfamilias propriè non habet iurisdictionem in famulos & officiales suos, sed neque in uxorem ac liberos; habet tamen ius cuiusdam gubernationis cum modica punitione iunctum, uti explicauit lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 8. n. 7. & lib. 5. tr. 10. part. 3. c. 2. n. 7.

NOTANDVM II. Episcopus est ordinarius Iudex clericorum in diœcesi sua. c. cum Episcopus, 7. de offic. Ordinarij in 6. Capitula verò Cathedralia quandoque per pruiti-

legium vel consuetudinem iurisdictionem in clericos & officiales suos sibi vendicant, sed spectato iure communi ne quidem in canonicos singulos iurisdictione præditum est Capitulum Cathedrale, uti hic docet Abb. n. 4. & colligitur ex c. irrefragabili. 13. §. Excelsus, de officio ordinarij.

QVÆRITVR I. An quilibet clericus per consuetudinem acquirere possit iurisdictionem fori externi, adeoque excommunicandi potestatem, aliãque censuras ferendi. Resp. Clericus, ut est persona priuata, non potest vsucapere talem fori externi iurisdictionem, sed tantum ratione dignitatis, administrationis seu officij, quod gerit, ita colligitur ex hoc c. & docet Ioann. Andr. n. 10. Abb. n. 16. nam clericus non potest vsucapere iurisdictionem Ecclesiasticam, nisi sub titulo saltem colorato factæ concessionis à Praelatis Ecclesiasticis, cum omnis potestas iurisdictionis inde tanquam ex fonte deriuetur. Cum ergo Praelati Ecclesiastici nunquam conferant iurisdictionem externi fori ad excommunicandum, &c. tanquam ordinariam aut quasi ordinariam, nisi ratione dignitatis vel officij, sequitur inde, quod non nisi intuitu officij vel dignitatis aliquis cum bona fide propriè dictam externi fori iurisdictionem vsucapere possit.

QVÆRITVR II. Vtrum ad præscribendam iurisdictionem contra loci Ordinarium, si alius coloratus titulus concessionis desit, requiratur scientia & patientia eius, contra quẽ præscribitur. Resp. Affirmatiuè cum Bartolo in l. 1. §. deniq; n. 5. ff. de aqua pluui. & Abbate hic n. 10. nam iurisdictione fori externi in alterius territorio habet se veluti ius seruitutis affirmatiuæ, v. g. itineris, seruitutes autem huiusmodi, si alius titulus desit, vsucapi non possunt absque scientia & patientia eius, contra quem præscribitur, uti dixi lib. 3. Theol. moral. tr. 1. c. 8. n. 3. & docet Baldus in l. 2. C. de seruitut. & aqua quotidiana, vbi docet, quod ad possessionem & vsucapionem rerum incorporalium seu iurium requiratur scientia & patientia eius, contra quẽ præscribitur, seu qui ius concedere potest, v. g. possessionem beneficij non vacantis absque

absque expressâ concessione nemo acquire-
re potest in ordine ad vsucipiendum, nisi
cum scientia & patientia eius, qui conferre
debet. Rationem dat Baldus n. 18. quia ad
acquirendam possessionem requiritur tradi-
tio, alioquin censetur vsurpata & iniusta
possessio; scientia autem & patientia domini
in talibus est instar traditionis, seu quædam
traditio. Exinde infert Bart. l. c. quod ciuitas
imperialis valde remota ab Imperatore præ-
scribere non possit merum imperium aut re-
galia, quia Imperator censetur ignorare.

At verò sciente & patiente Superiore præ-
scribi potest iurisdicção, nõ tantum simplex,
sed etiam quæ sunt imperij meri aut mixti,
imò & ea, quæ Principi in signum cuiusdam
prærogatiuæ reseruata sunt; vt potestas legi-
timandi, tabellionem creandi & alia, de qui-
bus in c. 4. de officio Legati. Non item præ-
scribi potest aduersus ea, quæ intrinseca sunt
potestati Superioris v. g. vt ad obedientiam
subditus nõ teneatur, c. cum non liceat 12. de
præscr. & videri potest Abbas hîc n. 14. & 15.

5 **QVÆRITVR III.** An & quatenus Præla-
ti inferiores Episcopo iurisdicçãoem in fo-
ro externo habeant. De hac re variè canoni-
stæ sentiunt, vt videre licet apud Abbatem
hîc num. 28. Respondeo & Dico I. Ne-
gari non potest, quin Prælati Ecclesiarum
conuentualium, eo ipso quod capita sunt,
Ecclesiæ suæ iurisdicçãoem non solum in
interno, sed etiam externo foro habeant in
collegium, seu eos, à quibus eliguntur, ita
sumitur ex c. 3. de officio ordinarij, & docet
Gl. ibi. Innoc. n. 2. Imola n. 6. argum. l. vlt. C.
de iurisdicção. omn. iudic. & ita quidem habent
spæctato iure communi, vt excommunicare,
aliàsque censuras inferre possint secundum
Gl. cit. Innoc. Ioan. Andream n. 16. ibid. Ra-
tio iam data est, quia Prælati sunt capita Ec-
clesiarum ex legis præscripto per electionem
constituti, ergo ab eadem communi lege iu-
risdicçãoem habent in eos, quibus præfici-
untur; in quibusdam tamen diocesisibus con-
suetudo viget, vt facultas excommunicandi
Ecclesiarum secularium Prælati & Recto-
ribus non concedatur, eò quod hæ causæ
censeantur arduæ.

DICO II. Iurisdicção his Prælati, si exem-
pti non sunt, competit cumulatiuè cum Epi-
scopo, vt in arbitrio actoris sit reos coram
Prælati, vel coram Episcopo conuenire. Ita
Innoc. cit. c. quanto, n. 2. Abbas hîc. Nam E-
piscopus est ordinarius Iudex clericorum
totius diocesis, ergo cõcurrit cum omnibus
alijs in iurisdicçãoe fori tam externi quàm
pœnitentialis, præterquam si per speciale
priuilegium vel consuetudinem Prælati ali-
qui exempti sint, vel etsi non simpliciter ex-
empti, tamen iurisdicçãoem in suos clericos
obtineant priuatiuè, seu excluso Episcopo,
salem in primâ instantiâ, aut donec defectus
vel negligentia Prælati inferioris appareat,
vt dixi c. irrefragabili 13. de officio ordina-
rij. Cuiusmodi iurisdicçãoem Prælati om-
nes regulares habent in suos religiosos, etsi
alioquin exempti non sint: vt Innoc. in c. 3.
de officio ordinarij, & dixi in c. quanto, eo-
dem tit.

DICO III. Refert, vtrum Prælati Episcopo inferior territorium habeat, intra cuius
fines iurisdicção eius se extendit, v. g. Ar-
chidiaconus, tum extra eos fines judicialiter
procedere non potest: an verò territorium
non habeat, sed tantum ipsi iurisdicção com-
petat in personas secundum se, tunc neque
propriam alicuius loci tribunal habet, sed in
omni loco diocesis iudicare potest, cum e-
nim non habenti propriam diocesis conceditur
iurisdicção in diocesi Episcopi, conse-
quenter etiam conceditur exercitium iurisdic-
ciónis in eadem diocesi, vt argumenta-
tur hîc Abbas n. 3. monens tamen, quod con-
uenientiùs ager Prælati, si intra terminos
Ecclesiæ suæ iurisdicçãoem contentiosam
exerceat. **Quod verò attinet ad Prælatos Or-**
dij, eorum iurisdicção in professos seu
regulares prouenit ex personali obligatione
per vota secundum Sedis Apostolicæ appro-
bationem facta, quare eorum iurisdicção ac-
potestas, vt v. g. religiosum fugientem cape-
re, & constringere possint, extenditur ad om-
nem locum, quare dici solet, quod totus
mundus his Prælati sit pro territorio.

Sed quid sentiendum de Vicario Episcopi,
num in omni loco diocesis jus dicere
possit?

possit? Resp. I. Necessarium est, & ita in Ecclesiis consuetum, vt Vicarius seu Officialis certum tribunal habeat, quod Consistorium Episcopi appellatur, plerumque in cathedrali ciuitate situm. ita Nauarrus. Ceterum ex causâ rationabili Vicarius in quouis loco diœcesis honesto & idoneo iudiciû exercere potest, vt si cum Episcopo vel solus extra locum tribunalis, siue ad alias diœcesis partes se contulerit, vel ob aliam causam commodius ibi sit litem decidi, nam Vicarius generalis iurisdictionem episcopalem exercet; Episcopus autem in quouis loco diœcesis, dummodò exemptus non sit, iurisdictionem exercet, c. cum Episcopus 7. de officio ordinarij in 6. ergo & Vicarius; modò id caueatur, vt partes litigantes ad locum non nimis remotum extra proprium Episcopi Consistorium trahantur, alioquin petere possunt, vt in loco ipsis propinquiore iudicium habeatur, & si id negetur, appellare, sicuti ex Maranta docet Barbosa de potestate Episcopi allegat. 81. n. 5.

10 Dico IV. In Clemētina vnica hoc tit. permittitur Episcopis, vt, si è diœcesi suâ expulsi sint, ita vt nec per Vicarium iurisdictionem exercere possint, tum liceat eis in alienâ diœcesi vicinâ ius dicere, & eò etiam subditos quoscunque suos euocare, dummodò non euocentur vltra duas diœtas à fine diœcesis computandas.

11 NOTANDVM III. Episcopus clericos diœcesis suæ non tantum punire potest ob crimina commissa in diœcesi, sed etiam extra diœcesin, ita ex communi Abbas hic num. 6. contra Gl. ver. maximè, quæ verbû hoc maximè explicat improprie, vt idem sit quod tantum, cum tamen verba constitutionis, nisi necessitas cogat, ad impropriam acceptionem trahenda nō sint. Constat autem vocem maximè non esse exclusiuam, sed potiùs inclusiuam eius, cum quo alterum comparatur & antefertur, v. g. in quadragesimâ à carnibus abstinendum est, & ieiunandum, maximè religiosis & clericis, ex quo non sequitur, seculares à lege absolutos esse. Vide quæ dicentur in c. sequente & ultimo.

CAPITVLVM XIV.

Postulasti.

PARAPHRASIS.

Quæsitum erat ex Innocent. III. si beneficiatus v. g. parochus in loco beneficij sui resideat, sed domicilium patrimonij sui habeat in aliâ diœcesi, atq; inibi delinquat, num ab Episcopo eiusdem loci puniri possit, maximè si agatur de priuatione beneficij, aut depositione ab officio, quod in aliâ diœcesi habet. Respondit Papa, quòd ab Episcopo loci, in cuius diœcesi deliquit, sententia priuationis aut depositionis in eum ferri debet, sed ab altero Episcopo executioni mandari.

SUMMARIVM.

1. Clericus delinquens in alia diœcesi potest puniri ab Episcopo eiusdem loci, licet in alia diœcesi resideat.
 2. Si verba statuti directè disponunt circa formam testamenti, vel contractûs, v. g. vt ad solemne testamentum tantum duo testes requirantur, valebit testamentum, siue ab incola, siue à peregrino sit confectum in eo loco, & quidem quoad omnia bona, vbiunque sita fuerint.
 3. Si statutum habiliter personas ad contrahendum, vel testandum, probabile est etiam extendi ad bona sita extra territorium statuentium. Possunt etiam frui hoc veluti priuilegio talis loci incolæ & peregrini.
 4. Si statutum inhabilitans & odiosum sit, non comprehendit aduenas ibi testantes.
 5. Statutum in prouincia, vt masculi succedant, exclusis fœminis, vel primogenitus succedat, exclusis alijs liberis, non obligat in ordine ad bona sita extra prouinciam, si directè disponat de rebus: obligat autem extraneos, si in regione sedem habeant.
- Si verò statutum absolue disponat de personis

sonis, peregrinos non comprehendit; extendit autem se ad bona alibi sita.

6. Præceptum Superioris potest se extendere ad locum, & bona extra territorium.
7. Iudex non potest sententiam pœna infligere, nisi alter Iudex, ad cuius locum sententia dirigitur, requisitus sententiam exequi paratus sit, vel pœna decreta sit per legem vtriusque communem; aut naturâ suâ afficiat absolutè personam, sine ordine ad locum, vti excommunicatio.
8. Si Episcopus non ex legis præscripto, sed propter hominis contumaciam proprio motu suspensionem inferat clerico à beneficiis, sententia eius non extendit se ad beneficium, quod reus habet in altera diœcesi.
9. Pœna confiscationis bonorum extenditur ad omnia bona, etiam qua in diuersis locis sita sunt, modo eidem Magistratui immediatè subsint; si autem non ita subsint, vel pœna confiscationis illata est reo ex lege vtriusque, loco communi, & tunc Magistratus loci, in quo reus damnatur, confiscabit bona sita in territorio iudicantis; alter vero bona sita in suo territorio: Vel est illata ex statuto proprio, & tunc bona sita extra territorium non sunt subiecta confiscationi.
10. Statutum magistratûs prouincialis, vt propter adulterium v. g. confiscentur bona criminosa ad extraneos possessores non extenditur.
11. Extraneus habens sub hoc magistratu bona, & extra prouinciam eum offendens, vel eius subditos, non potest puniri in possessionibus, nisi prius petiit & negata satisfactione pro illata iniuria ab offendente, & eius Superioribus.

NOTANDVM I. Clericus delinquens in aliâ diœcesi potest puniri ab Episcopo eiusdem loci, tamen in aliâ diœcesi resideat, ratio est, quia ratione delicti subijcitur aliquis iurisdictioni.

Aduerte hoc loco, tamen clericus in casu huius capituli, habuerit domicilium pa-

ternum in diœcesi illâ, in qua deliquit, & id eò duplici nomine ab eo Episcopo, dum ibi existeret, puniri potuerit, tamen in responsione Innoc. id vnicum æstimari, quod deliquerit in diœcesi, & ita docet Abbas hic. not. 1. Imolan. 3.

Sed difficultas est, qua ratione Episcopus delicti potuerit pœnam priuationis extendere ad beneficium in aliâ diœcesi situm, non enim potest Iudex iurisdictionem extendere vltra fines territorij sui, sicuti docent Legistæ in l. relegatorum 7. vbi Bartolus §. est quoddam, ff. quod Iudex non possit aliquem relegare ad locum iurisdictioni suæ non subiectum, idemq; ex communi hic tradit Felinus col. 2. Ad hoc respondet Glossa hic ver. deliquit, quod Episcopus delicti sententiam tantum declaratoriam criminis promulgare debeat, videlicet hunc criminofum secundum canones priuationem meruisse, & verò ab Episcopo beneficio eandem inferendam esse. Sed Hostiensis, & Ioan. Andreas hic n. 4. Abbas n. 7. textui congruenter dicunt, quod Episcopus delicti hoc casu sententiam priuationis ferat, at verò Episcopus beneficij eandem exequi debeat. Pro pleno huius materiæ intellectu

QVÆRITVR I. De statuto reddente aliquem capacem vel incapacem alicuius contractûs vel testamenti, num etiam extendatur ad bona sita extra territorium, idque respectu subditorum tantum, an verò etiam respectu peregrinorum pro tempore ibi existentium, quam quæstionem copiosè Bartolus & Baldus tractant.

Respondeo & Dico I. Si verba statuti directè disponant circa formam testamenti aut contractûs, v. g. vt ad solemnitatem testamenti non plures testes requirantur, quam duo, tunc valet testamentum, siue ab incolâ, siue peregrino confectum sit in eo loco, & quidem quoad omnia bona, vbiunque sita sint, ita Bartolus n. 25. & 37. Durandus de arte testandi, Antonius Gabriel. lib. 6. de statutis, concl. 8. n. 17. Ratio prioris partis est, quia peregrinus in fauorabilibus potest se accommodare statutis & consuetudinibus loci, in quo versatur, v. g. cum incolis Catholi-

cis

cis carnes comedere, tamen si in patria id non liceat. Ratio posterioris partis est, quia magistratus directe tantum disponit de contractu aut testamento valore illi addens, vel auferens, si intra territorium suum instituat, consequenter autem & indirecte dispositio etiam se extendit ad bona sita extra territorium.

³ Dico II. Si statutum habiliter personas ad contrahendum vel testandum, probabile est etiam extendi ad bona sita extra territorium statuentium, item non tantum incolas, sed etiam peregrinos hoc veluti privilegio loci frui posse: Exemplum est, si statutum vel consuetudo loci sit, ut filius familias de bonis suis adventitijs testari possit. Prior pars assertionis est Bartoli cit. l. 1. n. 32. ubi ait, si statutum favorabile sit, late interpretandum esse, ut se extendat ad bona ubique sita; sed arbitrari non esse curandum, num statutum favorabile sit, an odiosum, sed in utroque casu extendi etiam ad bona alibi sita, ut docet Baldus n. 18. Lancellotus de statuto Alexandrino, Præfat. 7. n. 11. ut si statutum sit, quod mulier viro per ultimam voluntatem nil relinquere possit, impediatur etiam, quod minus in loco statuti condens testamentum relinquat illi bona sita extra territorium.

Posterior pars est contra Bartolum, Baldum & alios multos, qui rationem dant, quod magistratus loci non possit habiliter personas non subditas. Sed contrarium est probabilius, quod in loco, ubi filius familias testamentum condere concessum est, (nisi statutum expresse limitatum sit ad incolas) etiam peregrinus valide testetur secundum ea, quæ in simili docet Sanch. lib. 3. de matr. D. 18. q. 4. quod incolæ locorum, in quibus Conc. Tridentinum obligat, egredientes ad loca, in quibus non obligat, valide contrahant absque testibus & parochis, & videri possunt, quæ dixi lib. 1. Th. mor. tract. 4. cap. 12. prope finem, consequenter dicendum est contra Legistas, si lex generatim inhabilitet personas, v. g. quod vxor maritum hæredem instituere non possit, eam subditos non obligari extra territorium, quare ut effugiant inhabilitatem testandi, egredi possunt ad locum,

in quo ipsi testari, aut legare coniugi licitum est.

Ad argumentum in oppositum Resp. Discrimen esse inter Superioris præceptum aut Iudicis sententiam, & inter statutum seu legem; nam præceptum seu sententia per se directe tendit in personas subditas, earumque omnibus inhæret, quocumque ierint; at verò statutum non ita directe tendit in personas (alioquin non obligaret posteros aut postea aduenientes) sed potius in territorium, atque exinde in incolas seu commorantes intra territorium.

⁴ Si statutum inhabilitans & odiosum sit, v. g. ut mulier marito nil legare possit, non comprehendit aduenas ibi testantes. Ita docet Speculator lib. 2. part. 3. de sententiâ. §. 5. n. 2. Felinus hic n. 4. Bartolus n. 23. Baldus. Ratio est, quia licet peregrinus in favorabilibus possit conformare se statuto vel consuetudini loci, etsi in patria sua alia lex vigeat, non tamen obligatur legibus loci, ut v. g. in festo eius loci proprio Missam audire debeat, cum iurisdictioni subiectus non sit, sicuti docui cit. tract. 4. cap. 12.

Corollarium. Non est omnino eadem ratio de contractu & testamento, nam contractus instituitur cum altero, qui si civis aut incolæ sit, contrahere debet secundum consuetudinem civitatis suæ, quemadmodum & mercatores aduenæ, si ibi officinam collocarunt, vendere debent secundum consuetudinem loci, ubi recepti sunt. At verò si vovs peregrinus alteri peregrino donationem faceret ultra summam, quæ in eo loco prohibita est, ne fiat absque Iudicis decreto, si in patria, seu ubi peregrini domicilium habent, ea lex non vigeat, tum valida erit donatio, quandoquidem lex illa odiosa non obligat peregrinos. Similiter itaque sentiendum de testamento, quod condit peregrinus, posse eum aliquid relinquere vxori suæ, tamen si statutum in loco vigeat, ne coniux coniugi aliquid leget.

⁵ Exinde apparet, quid respondendum sit ad hoc dubium: Est statutum in provincia, ut masculi succedant, exclusis feminis, vel primogenitus succedat, exclusis alijs liberis, ob-

ris. obligatne etiam in ordine ad bona sita extra prouinciam? & num peregrinos? Bartolus n. 42. ait distinguendum esse, num statum directè disponat de rebus, v. g. possessiones vt perueniant ad masculos, non foeminas, tunc duo asserit. Primum, quòd non extendatur ad bona alibi sita, cum de ijs magistratus directè nihil statuere possit, secundum quod obliget etiam extraneos, si in regione sedem habeant, eò quòd dispositio proximè afficiat bona, & per accidens tendat in personas. An verò statum absolutè disponat de personis, v. g. vt in hæreditate masculi succedant, non foeminae, sed hæc dote contentæ sint, tum iterum duo ait: Primum, quòd peregrinos non comprehendat, quia edictis prohibitorijs, quale hoc est de excludendis foeminis, non ligantur peregrini, vt supra dixi, & tradit Felin. n. 4. Secundum, quòd constitutio se non extendat ad bona alibi sita. In hoc ultimo non assentior Bartolo, quia vt supra dixi, magistratus directè non disponit de bonis extra territorium, sed de persona ipsa, eiusque testamento, & hæreditatis iure coarctans ad masculos, exclusis foeminis, atque exinde indirectè tendit ad bona dispositio magistratus: & hæc de statutis.

Nunc quæritur de sententia Iudicis, an se extendere possit ad loca, vel bona sita extra territorium sententiam dicentis? Resp. & Dico I. Præceptum Superioris potest se extendere ad locum vel bona extra territorium, vt si Episcopus clerico peregrinato prohibeat, ne extra dioccesin ludat, vel mandet illi ex iusta causa, vt urbem alibi sitam ingrediatur, in eam moretur, aut non moretur. ita docui lib. 1. Th. mor. tr. 5. part. 1. c. 4. n. 7. Nam tale præceptum immediatè tendit in personam subditam per accidens ad locum vel bona, dummodò alienæ jurisdictioni eam re nil præiudicetur.

7 Dico II. Iudex ordinariè non potest sententiam poenæ inflictiuam extendere ultra territorium suum. Hæc est communis doctrina, vt dixi in principio huius capituli. Exempli causa, Iudex non potest reum damnare, vt in loco non subdito exul moretur,

ibi virgis cædatur, capite plectatur, &c. Probat, non potest Iudex actum jurisdictionalem exercere extra territorium c. 2. de constit. in 6. sed executio sententiæ est actus jurisdictionalis, vt dixi tit. de off. delegati, ergo. &c.

Ex quo apparet discrimen, cur Superior præcipere possit subdito, vtalicubi extra territorium negotij causa consistat, & tamen ad hoc non possit illum damnare per modum poenæ. Iterum quòd frequenter Prælati ecclesiastici clericis vel religiosis ob crimen imponant per modum poenitentiae salutaris, vt ad locum extra dioccesin peregrinentur, ibi confiteantur, tot rosaria recitent: talia enim obligant per modum iusti præcepti veluti paterni, dummodò is, cui præcipitur, subditus maneat; quòd si verò Episcopus clerico ob crimen dioccesin interdicat, & insuper ipsi mandet v. g. vt Romæ Ecclesiam visitet, aut ibi ieiunet, &c. non videtur hæc praxis defendi posse tanquam juri conueniens.

Posui autem in assertionem vocem *ordinariè*: nam excipi debet 1. Nisi alter Iudex ad eius locum sententia dirigatur, requisitus exequi paratus sit, sic potest aliquis damnari, vt in loco alienæ jurisdictionis terram fodiat, quia traditur postea iudici loci, à quo ex alterius requisitione compelletur.

Excipitur 2. Nisi poena decreta sit per legem vtrique Iudici communem, tum à Iudice delicti illata executioni mandari debet à Iudice domicilij aut beneficij, si ad eum locum dirigatur, qui est casus huius capituli, nam canon Ecclesiae jubet, vt clericus v. g. adulter deponatur ab officio, & beneficijs omnibus: accidit autem, vt parochus diocesis Frisingensis in hac ciuitate in adulterio deprehensus sit, potest quidem Episcopus Augustanus reum remittere ad proprium Ordinarium, sed non tenetur, cum ratione delicti eius subditus factus sit. Igitur ipse infligit illi poenam depositionis & priuationis secundum canones præscriptam, Episcopus autem Frisingensis sententiam exequi, & hominem à parochia actualiter remouere debet, non ad imperium Episcopi Augustani, quippe qui ipsi, vt par, nihil imperare potest.

i

c. in-

e. innotuit 21. de elect. sed ad imperium seu præceptum legis. Neque etiam hoc casu Episcopus Frisingensis hominem post peractam pœnitentiam restituere poterit, nisi consensus Episcopi Augustani accedat, quia sententiam Iudicis nemo relaxare potest, nisi superior, aut successor.

8 QVÆRES: Quid si Episcopus non ex legis præscripto, sed propter hominis contumaciam suo motu & arbitrato suspensionem inferat clerico à beneficijs, an sententia hæc extendat se ad beneficium, quod reus habet in alterâ diœcesi. Resp. negativè cum Felino hîc n. 4. Quia si Episcopus propriâ, & non juris communis auctoritate priuationem inferat, ea nec per se extenditur ad beneficia Episcopo non subiecta, (quandoquidem, vt initio dixi, sententia Iudicis pœnalis non extenditur extra territorium) nec per consequentiam seu connexionem cum ijs beneficijs, quibus Episcopus hominem priuare, aut ab ijs suspendere potest, eò quòd connexa non sint, sed separabilia, videlicet, vt aliquis suspensionem aut priuationem contrahat à beneficijs vnus Ecclesiæ, non item alterius, vt constat ex c. si compromissarius 37. de elect. in 6.

Excipitur 3. Si pœna per legem aut sententiam inflicta suapte institutione ac naturâ talis sit, vt afficiat personam absolutè sine ordine ad certum locum, talis est excommunicatio, quippe quâ homo absolutè priuatur communibus omnibus Ecclesiæ bonis, quare dici solet, quòd excommunicatio non clauditur territorio, sed sequitur personam, sicut lepra leprosum, idemque dicendum de interdicto personali, aut si alicui ingressus Ecclesiæ interdictus sit, iuxta c. is cui, 20. de sententiâ excommuni in 6. & tradit hîc Abbas n. 11. Sed & idem dicendum de positione simpliciter dictâ, si videlicet Episcopus clericum ob crimen non tantùm priuet beneficijs diœcesis suæ, sed absolutè ei depositionem ab officio & beneficijs inferat, tunc eò ipso inhabilis fit ad beneficium qualecunque retinendum, vel acquirendum, nisi cum eo dispensetur, sicuti ex comuni docet Suar. de censuris D. 31. sect. 21. n. 5. quamuis dici

possit, quòd Episcopus tales pœnas depositionis non inferat, nisi secundum præscriptum canonum, vt supra dixi.

Eadem quoque ratione damnatus ad mortem, adeoque libertate priuatus, & seruus pœnæ effectus, item condemnatus de crimine, quòd infamiam infert, v. g. de furto, vbi que locorum, tametsi post sententiam è manibus licitorum effugerit, infamis & pœnæ seruus manet, vt docent DD. in l. sunt quidam 19. vbi Bart. ff. de pœnis, Baldus in l. 1. Felinus hîc n. 5. Verumtamen sententiam à priore Iudice latam exequi non potest Iudex loci, in quo reus reperitur, nisi ad requisitionem illius, vel si vterq; sub eodem Præside aut Principe sit, vt docet Clarus in praxi q. 46. n. 6.

Restat quæstio, si pœna confiscationis bonorum alicui illata sit, vtrum etiam extendatur ad bona alibi sita. Resp. Esse distinguendum, num bona diuersorum locorum eidem magistratui immediatè subsint: hoc casu omnia bona ipsi applicantur, vt si dux in suâ regione diuersa tribunalia habeat, & vnus Præsides iuxta statutum prouinciæ condemnet v. g. veneticum ibi deprehensum bonorum confiscatione, omnia bona eius in ducatu sita applicabuntur duci. An verò non eidem magistratui subsint, tunc iterum distingue, num pœna confiscationis imponatur reo ex lege, quæ vtrique loco communis est, hoc casu magistratus loci, in quo reus damnatur, confiscabit in primis omnia bona mobilia, dein immobilia ea, quæ possidet in territorio iudicantis, alter verò magistratus confiscabit bona sita in suo territorio. An denique Iudex inferat pœnam confiscationis ex statuto proprio, tum bona sita extra territorium non sunt subiecta confiscationi, ita ex communi Clarus, q. 78. n. 27. Farinacius de hæresi q. 190. n. 166. & videri potest Ancharanus & Dominicus c. cum secundum, de hæreticis in 6.

Id verò improbabile est, quòd post Innocentium hîc Abbas docet n. 16. Si magistratus prouinciæ statutum condatur, v. g. vt propter adulterium possessiones criminosi confiscentur, eò statuto affici etiam possessores extra-

extraneos, alioqui non subditos, quia verba statuti, inquit, in rem, non in personas concepta sunt: sed Hostiensis & Ioan. Andr. hic n. 6. rectè hoc reprobant, quia intentio statuentium & effectus potius considerari debet, quàm verba; apparet autem, qualitercunque verba concipiantur, causam statuenti esse crimen, adeoque statutum esse pœnale, tum in statuentium intentione, tum in statuti effectu, quare cum magistratus non subditos ob crimen punire non possit, sequitur statutum illud ad extraneos possessores non transire.

11 Id verò rectè docet idem Innocentius hic: si extraneus, qui sub hoc magistratu possessiones habet, extra prouinciam offendat magistratum, vel subditos eius, quòd propterea puniri non possit in possessionibus, sed magistratus prius debet satisfactionem pro illatà iniurià petere ab offendente & superioribus eius, qui si satisfacere negligant, tum demum est permissum apprehendere bona offendentis, donec satisfactum sit, quod ipsum etiam in tributis fieri consuevit, vt si extraneus in prouincià possessiones habens tributa non pendat Principi, possessiones apprehendere possit magistratus, cum pro tributis debitis obligatæ esse censeantur, quâ de re Baldus I. jubemus, C. de SS. Ecclesiis.

CAPITVLVM XV.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Regina Angliæ literas apostolicas impetrauerat ad Archiepiscopum, Decanum, & Archidiaconum Ecclesiæ Turonensis aduersus Wilhelmum nobilem, qui eam castro quodam, quod iure dotalitij, seu propter nuptias donationis, possidebat, per iniuriam spoliavit: nobilis excepit contra literas, quòd domicilium principale suum consistat in diœcesi Rodonensi, quæ ultra duas diœtas distat à Turonensi, ideoque ad Iudices Turonenses trahi se

non oportere. Sed replicatum est ex parte Reginæ, quòd nobilis etiam in Andegauensi diœcesi subinde moretur, eò quòd plura ibi castra habeat, & hoc ipsum castrum, de quo lis erat, in eadem diœcesi existere, quæ à Turonensi ultra 12. leucas non distat. Præterea obijcit nobilis, literas papales irritas esse, partim, quia in eis mentio facta non est, quòd dominus feudi prius requisitus iustitiam administrare neglexerit, partim, quia in ijs falsum continebatur, cum castrum illud Reginæ à marito suo nec in principio nuptiarum, nec postea propter nuptias donatum sit. Ad hæc Honorius III. respondit, quòd vidua spoliata irrequisito etiam domino feudi spoliatorem seu detentorè iniquum coram Iudice ecclesiastico cõuenire possit, eò quòd ad Ecclesiam pertineat viduas defendere. Quod verò obijcitur, castrum nomine donationis propter nuptias non pertinere ad Reginam, hæc exceptio ad iudicium petitorium spectat, non ad possessorium, quod hic instituitur, quare mandat Papa, si vera sunt, quæ ex parte Reginæ proposita fuerunt, de domicilijs Wilhelmi & distantia diœcesis, tum Iudices illi in causa secundùm priores literas procedant.

S Y M M A R I V M.

1. *Dignitas vxoris, quam à marito traxit, eo mortuo non extinguitur, nisi soluto matrimonio viro inferioris conditionis nubat.*
2. *Potest quis in duobus locis domicilium habere ad eum effectum, vt utrobique subditus censeatur, & conueniri possit.*
3. *Vidua, orphani, & similes persone censeantur esse sub Ecclesiæ speciali patrocinio, ideoque acta oppressæ vel spoliata ad iudicem ecclesiasticum causam suam deferre possunt, non requisito prius iudice seculari, sub cuius iurisdictione sunt.*

NOTANDVM I. Dignitas vxoris, quam à marito traxit, eo mortuo non extinguitur.

guitur. Ita Felinus hic, & habetur l. foeminae 8 ff. de senatoribus, & colligitur ex hoc cap. Nam haec vidua bis regina appellatur, quia quondam veluti regibus radijs ex confortio regis illustrata erat. Excipe, nisi dissoluto matrimonio inferioris conditionis viro nubat, docet Gl. in cit. l. foeminae. Verum est contrario, si mulier poenam sustinere debuit ex confortio mariti, vt quia cum ipso tanquam rebeli exulare iussa fuit, post mortem eius redire poterit, quia causa exilij finita est, vti Felinus hic notat.

NOTANDVM II. Tametsi propter nuptias donatio, spectato communi iure dissoluto matrimonio recuperetur à marito, vel haeredibus eius, aliud tamen obseruatur in quibusdam regionibus, maxime inter personas illustres, vt vxori certum oppidum aut castrum in prouincià dotalitij nomine designetur, vt ex eius redditib⁹ viuat post mortem mariti. Vide quae dixi lib. 3. tr. 4. c. 13.

NOTANDVM III. Potest aliquis in duobus locis domicilium habere ad eum effectum, vt vtroque subditus censeatur, & conueniri possit. Ita habetur expressius in l. assumpt. 6. §. viris. ff. ad municipalem, & c. 2. de sepulturis in 6. Id verò duobus modis contingit, I. Si in vtroque loco magnam partem anni, ad eoque ferme aequaliter habitare soleat, vti explicauimus in lib. 5. Th. mor. tr. 6. c. 10. n. 6. II. Si maiorem partem bonorum in altero loco habeat, & saepe ibi versetur, quasi domicilium habere censetur iuxta l. 2. C. vbi senatores, & tradit Abbas hic n. 8.

NOTANDVM IV. Licet computatio itineris duorum dierum, & jure nouo, vnus diei (vltra quod per rescriptum apostolicum trahi aliquis non debeat ad Iudices delegatos) fieri debeat à diocesi domicilij, vti diximus in c. dilectus 29. de rescrip. Excipitur tamen, nisi haec concurrant, quod res litigiosa sit in alia diocesi, in qua etiam reus possessiones aliquas habeat, & subinde eas inhabitet, tum ab hac diocesi computatio itineris fieri potest, ita sumitur ex fine huius cap. & docet Abb. n. 9. Felin. n. 4.

NOTANDVM V. Viduae, sicut & orphani, & similes personae censentur esse sub Ecclesiae

speciali patrocinio, quare, si actualiter opprimantur, ad Iudicem ecclesiasticum causam deferre possunt, non requisito prius iudice seculari, sub cuius iurisdictione sunt, idem locum habet, etsi causa sit feudalitatis. Ita docet Gl. magna hic, Innoc. Imolan. 7. & alij canonistae omnes, & est textus expressus hic, licet id negare ausus sit Couarruias in pract. q. c. 6. n. 1. & eum secutus D. Maranta de iurisdictione casu 21. Papa, inquit Couarru. alijsq; Iudex ecclesiasticus nec debet nec potest cognoscere inter laicos, nec aduersus laicum reum super re temporali ad petitionem miseri alicuius oppressi & exspoliati, nisi Iudex secularis negligens fuerit in iustitia administranda. Ego verò ita censeo Couarruiam clarissimo textui frustra se opponere, deinde falsum esse, quod Iudex ecclesiasticus cognoscere causam non possit, si persona miserabilis actu oppressa vel spoliata sit, quia quod causae miserabilium oppressarum ad Ecclesiam spectent, saltim cumulatim, constat ex traditione Ecclesiae apud Gratianum dist. 87. & in c. si quis 21. iuncta Gl. ver. pauperem, causa 24. q. 3. Si tamen non possessorio, sed petitorio tantum iudicio agatur, tunc fateor, quod Iudex ecclesiasticus se immiscere non debeat, si causa temporalis sit, & reus conuentus laicus, nisi propter negligentiam Iudicis secularis, sicuti ex textu nostro colligitur, & notat Innoc. in fine, Imola n. 7. Deniq; si de solo facto seu consuetudine loquamur, verum est propter Iudicium secularium oppositionem, quam tamen male Couarr. defendit, eiusmodi causarum delationes ad Iudicem ecclesiasticum minus, quam olim in usu esse, quamuis frequenter Episcopi in synodis suis contra Iudices seculares in hoc & similibus casibus protestari soleant, ne iuribus suis cedere videantur, quod nec facere possunt contra canones.

CAPITVLVM XVI.

Conquestus.

PARAPHRASIS.

Relatum est Gregorio IX. quod iurisdictionem temporalem, quae in quibusdam villis &

lis & castris Bononiensi ecclesiæ plene jure competeat, & in cuius quasi possessione existeret potestas & communitas Bononiensis per violentiam vsurpare præsumperit, cum autem iniustum sit, ut quæ à fidelibus pro peccatorum suorum remedio Ecclesiæ relicta, vel alijs iustis titulis acquisita sunt, vsibus alijs applicentur, idem consentaneum est, ut inuasores harum rerum tanquam sacrilegi anathemati subijciantur vsque ad satisfactionem congruam; quamobrem mandat Papa Canonico cuidam, si rem ita esse cognouerit, ut præmissa monitione per ecclesiasticam censuram Bononienses ab eiusmodi violentijs cessare, & de præteritis daninis satisfacere compellat.

SUMMARIUM.

1. *Quæ ecclesiis, vel monasteriis donata sunt, censeri debent collata pro salute animæ, ut inter causas piæ referantur.*

2. *Sacrilegi censendi sunt non tantum, qui Ecclesiam bonis aut iuribus suis spoliant, possessiones ei auferentes, sed etiam qui possessionem bonorum aut iurium inuadunt & perturbant.*

3. *Fures, raptores, aut inuasores bonorum ecclesiasticorum non sunt ipso iure excommunicati, sed excommunicandi, nisi desinant & satisfaciant.*

Qui autem ecclesias cum effractione spoliant, ipso facto excommunicati esse videntur.

NOTANDVM I. Quæ Ecclesijs vel Monasteriis donata sunt, censeri debent collata pro salute animæ, ut inter causas piæ referantur. Ita Imola & Abbas hic n. 2. & habetur in c. 3. causa 12. q. 3.

NOTANDVM II. Non tantum qui Ecclesiam bonis aut iuribus suis spoliant, possessionem ei auferentes, sacrilegi censeri debent, sed etiam qui possessionem bonorum aut iurium inuadunt, & perturbant: ita sumitur ex hoc c. nam Ecclesia Bononiensis manebat in possessione, consequenter non agebat interdicto unde vi, ad possessionem recuperandam, sed interdicto uti possi-

detis, ad possessionem pacificè & indemniter retinendam; petebat enim, ut potestas Bononiensis compellatur cessare à violentijs, seu inuasionibus iniustis &c. Ita notauit Innocent. hic, & ait, quod fortasse senatores subditos Ecclesiæ citarint ad suum tribunal, & quia comparere volebant, executio latæ sententiæ in bonis eorum facta fuerit per secularem potestatem. Hoc censeri debet crimen sacrilegij, quia iurisdicção Ecclesiæ donata, aut quocunque iusto titulo ipsa acquisita perinde sacra censetur, sicuti res corporales, v.g. prædia Ecclesiæ; quemadmodum itaque is, qui prædium Ecclesiæ armis inuadit, tanquam sacrilegus iure canonico damnatur, ita etiam, qui Ecclesiæ iurisdictionem temporalem violenter inuadit, aut sibi vsurpare attentat. Vide quæ dixi lib. 4. Th. mor. tr. 10. c. 7. n. 14.

NOTANDVM III. Fures, raptores aut inuasores Bonorum ecclesiasticorum non sunt ipso iure excommunicati, sed excommunicandi, nisi desinant & satisfaciant: Veruntamen qui Ecclesias cum effractione spoliant, ipso facto excommunicati esse videntur. c. conquesti, 22. de sententia excommunicati. Ita Imola hic n. 5. & dixi lib. 4. Th. mor. tr. 9. c. 7. n. 19.

CAPITVLVM XVII.

Dilecti.

PARAPHRASIS.

Duo ciues Romani literas impetrarunt à Gregorio IX. ad Abbatem Parisiensem contra Rabanum Episcopum Dalmensem propter summam pecuniæ illis debitam. Eo mortuo Abbas vigore rescripti citauit successoré Episcopum: is excepit, Anglos à Sede Apostolica habere priuilegium, ne citra mare conueniri possint; quamobrem Abbas in causa progredi intermisit. Respondet hic Gregorius IX. exceptionem hanc non subsistere, quia tametsi ponamus priuilegium tale haberi, tamen non prodesset ijs, qui se certo

I 3 loco

loco responsuros aut soluturos aduersarijs promiserunt; cum tales conueniri possint, tum in loco domicilij, tum in loco, ubi soluere promiserunt. Quare mandat Episcopo Dulmensi, vt dictis ciuibus satisfaciatur, tum quoad pecuniam debitam, tum quoad æstimationem expensarum & damnorum, reiectis vsuris; alioquin mandatur Abbati, vt non obstante illo priuilegio in causa sibi commissa iuxta priores literas procedat.

S V M M A R I V M.

1. *Post rescriptum impetratum contra Prælatum in causa Ecclesie sue, illo mortuo vel deposito successor conueniri potest.*
2. *Conueniri quis potest, ubi se soluturum promisit.*
3. *Priuilegium Apostolicum, vt aliquis per rescriptum papale non possit extra diœcesin, vel ultra mare trahi, intelligendum est iuxta materiam subiectam, & ordinariè; Secus est, si in alio loco contraxit, aut quasi contraxit, seu deliquit; tunc enim ex speciali causa sibi sortitur forum, cui per generale priuilegium non derogatur.*
4. *Qui conueniri potest ratione domicilij vel contractus, aut debiti coram Ordinario, super eadem causa conueniri potest coram delegato.*
5. *Qui in certo loco solutionem debiti promisit, si id non faciat, tenetur de expensis damnis ex causa factis.*

NO T A N D V M I. Per rescriptum impetratum contra Prælatum in causa Ecclesie sue, quia v. g. in eius vtilitatem mutuum acceperat, illo mortuo, vel deposito conueniri potest successor; nec refert, quod in rescripto proprium nomen Prælati expressum fuerit, si causa non personæ, sed Ecclesie erat, vt docui c. quoniam. 14. not. 2. de offic. delegati.

NO T A N D V M II. In loco, ubi quis soluturum se promisit, conueniri potest ratione contractus, quia veluti contraxisse vnusquisque in eo loco intelligitur, in quo vt sol-

ueret, se obligauit. l. 21. ff. de oblig. quare in actoris optione est, num debitorem in loco domicilij sui, an in loco destinatæ solutionis conuenire malit, vt hîc dicitur, & in l. 3. §. ult. de iudicijs.

NO T A N D V M III. Priuilegium Apostolicum, vt aliquis per literas seu rescriptum papale trahi non possit extra diœcesin, vel ultra mare, intelligi debet iuxta materiam subiectam, & ordinariè; secus autem est, si in alio loco contraxit, aut quasi contraxit, vel deliquit; tunc enim ex speciali causa forum acquirit, cui per generale priuilegium derogatum nõ censetur. Accedit, quod priuilegium, quatenus tendit in alterius, videl. actoris præiudicium, strictam interpretationem meretur; iuxta doctrinam Innocentij, priuilegium latè interpretandum esse, quatenus agitur de iure concedentis; strictè autem, quatenus agitur de iuribus aliorum, quibus præiudicatur.

NO T A N D V M IV. Quicumque clericus seu ratione domicilij, seu ratione contractus aut delicti conueniri potest coram Ordinario, videl. Episcopo loci, is etiam conueniri potest coram delegato Papæ super eâ causâ. Ita Innoc. hîc. n. 3.

NO T A N D V M V. Qui in certo loco soluere promisit, si id non faciat, satisfacere debet de expensis & damnis eâ de causa factis. Ita docent DD. in l. 2. ff. de eo, quod certo loco. Et hoc Iudex arbitrari debet, petente actore, quanti eius interfit, solutionem in loco constituto factam non esse, dummodo debitor in culpa aliqua fuerit, vt ibi Gl. monet ver. arbitratoria actio.

CAPITVLVM XVIII.
Significasti.

PARAPHRASIS.

Clericus petente mercatore obligauerat se ipsi, nisi solutionem pecuniæ mutuo acceptæ faceret ad certum diem, quod vellet se subijcere iurisdictioni ac sententiæ Abbatis Trecentis, alioquin non sui Iudicis. Dubitatum fuit, an talis promissio subsisteret: Ratio est, licet alioquin per pro-

proprium ac priuatum consensum possit aliquis alterum, qui iurisdictioni præest, Iudicem sibi constituere, clerici tamen id facere non possunt, nisi Iudex, cui se subijciunt, ecclesiastica persona sit, & proprij Episcopi consensus accedat.

SUMMARIUM.

1. *Privata persona non possunt alicui iurisdictionem dare, possunt tamen prorogare, si non lege aliqua prohibeantur.*
2. *Clerici non possunt prorogare iurisdictionem, nisi accedat consensus proprij Ordinarij.*
3. *Religiosi exempti cum consensu sui Prælati se subijcere possunt Episcopo diocæsano in iurisdictione voluntaria, scilicet, absolutione à peccatis & censuris, dispensatione super irregularitatibus, votis, si Prælati Ordinis tali facultate præditi non sit.*
4. *Clericus cum consensu Episcopi sui non potest prorogare iurisdictionem iudicis secularis, subijciendo se ipsi saltem in causa civili.*

NOTANDUM I. Privatæ Personæ non possunt alicui iurisdictionem dare, possunt tamen iurisdictionem expressè vel tacitè prorogare, seu supra se ipsos extendere. I. priuatorum, 3. C. de iurisd. Excipe, nisi lege aliqua prohibeantur, quo modo causæ feudales coram domino feudi tractari debent, & alterius iurisdictioni subijci nequeunt, ut dixi in c. ceterum, 5. de iudicijs. Item in foro pœnitentiæ non est permissa prorogatio iurisdictionis, ut videlicet extra mortis periculum ab alieno Sacerdote absq; proprij licentiâ absolutionem à peccatis mortalibus quis consequatur. c. 2. causa 9. q. 2. & c. omnis vtriusque, 12. de pœnitent. Sin autem proprius Sacerdos, videl. Episcopus vel Parochus, subdito licentiam det alium sibi confessarium eligendi, debet eligere expositum; quandoquidem, ut dixi, priuatus iurisdictionem dare non potest, licet prorogare possit, si ei permittatur, uti hîc Abb.

notauit n. 5. & Gl. in cit. c. omnis vtriusque, ver. alieno Sacerdote. Quæ tamen in eo errat, quòd existimet, regulares à Papa priuilegiatos non posse audire confessiones fidelium absque licentiâ Episcopi aut Parochi. Qua de re dixi lib. 5. Th. mor. tr. 6. c. 10. n. 11.

Episcopus verò licentiam dare potest diocæsano suo constitendi Sacerdoti designato, licet alioquin non exposito, nam hoc ipso illum approbat & exponit, saltem ad huius pœnitentiæ confessionem. Dixi, Sacerdoti designato, si enim Episcopus generatim daret licentiam eligendi Sacerdotem quemcunque in diocesi, censeri hæc non potest approbatio, cum ea cognitionem personæ necessariò requiratur, quamobrem talis facultas eligendi irrita esset, uti docet Suar. p. 3. tom. 4. disp. 18. sect. 8. n. 16. At verò Papa, qui adstrictus non est lege Concilij Tridentini requisiti approbationem Episcoporum sect. 23. c. 15. Is dispensatiuè talem facultatem concedere potest, quamuis non soleat, sed addit in Bullis Iubilei, & similibus facultatibus, ut fideles, nisi Religiosi sint, Sacerdoti cui libet confiteantur, dummodò ab Episcopo approbatus & expositus sit, imò quamuis hæc verba non adderentur, tamen intelligi deberent, quia Papa non censetur iuri communi, præsertim constitutionibus Generalis Concilij derogare, sicuti docet Suar. disp. 25. sect. 4. n. 9. & 10.

NOTANDUM II. Clerici non possunt prorogare iurisdictionem, seu subijcere se alieno Iudici ecclesiastico, nisi accedat consensus proprij Ordinarij, videl. Episcopi, vel similem Episcopali iurisdictionem habentis. Sic habetur in c. non liceat, 14. causa 3. q. 6. Ratio reddi debet, partim quia ita visum fuit expedire ad bonum regiminis ecclesiastici, partim quia clerici Episcopis ac Prælati suis peculiariter subditi censentur, plus quàm laici magistratui suo.

QUÆRITUR I. Vtrum Religiosi exempti cum consensu Prælati sui se subijcere possint Episcopo diocæsano in iurisdictione voluntaria, videl. absolutione à peccatis & censuris, dispensatione super irregularitatibus, votis, si Prælati Ordinis tali facultate præditi

ditus non sit? Negant hic Antonius & Abbas n. 11. quia per priuilegium exemptionis acquiritur ius ipsi Romanæ Sedi, vti constat ex c. 2. de in integr. restit. ergo ei renuntiare aut derogare non possunt religiosi iuxta c. cum tempore, 5. de arbitris. Et hæc sententia valde probabilis est, eamque veram censuit Suarez tom. 2. de Relig. lib. 6. de Votis. c. 11. n. 7. Nihilominus contrarium cum pluribus alijs rectè defendit Sanch. to. 1. de Rel. l. 4. c. 39. n. 32. Cum enim talia exemptionis priuilegia per se ac directè tendat in fauorem Ordinum, æquum non est, neq; conforme intentioni Pontificum, vt ea in eorundem dispendium cedant, videl. vt deterioris ipsi conditionis sint, quàm alij non exempti eiusdem diocesis clerici & religiosi, qui ab Episcopo secundùm facultates eius absolui possunt. Accedit I. Quòd exempti in eiusmodi casu non subiiciunt se Episcopo omnimodè alieno, sed qui spectato iure communi, & seposito priuilegio ipsorum Ordinarium est, facilè autem res redit ad primordiale naturam suam. Accedit II. Quòd ad omne dubium tollendum extant Apostolica priuilegia super hac re quibusdam exemptis ordinibus concessa apud Sanch. l. c. ex Corduba. Ad argumentum Abbatis Resp. Rectè extendi, quòd exempti subicere se non possent absolutioni, aut dispensationi Episcopi diocesani, nisi Papæ consensus, saltem tacitus, vel præsumptus, imò etiam per priuilegia expressus accederet.

QVÆRITUR II. An clericus cum consensu Episcopi sui prorogare possit iurisdictionem Iudicis secularis subiiciendo se ipsi saltem in causa ciuili. Videtur esse affirmandum, cum sit ferè communis doctrina, vti dixi in c. 2. de iudic. quòd Episcopus laico delegare possit causam ciuilem aduersus clericum, eaque in praxi obseruatur, adeò, vt quandoque etiam vniuersitas causarum ciuiliam erga clericos laico demàdetur. Nihilominus negatiuè respondeo cum Gl. fin. arg. c. si diligenti, 12. hoc tit. Ad argumentum resp. cum Gl. margin. hic, cum Abbat. in fin. quòd sit aliud delegare, aliud iurisdictionem prorogare, nam delegans referuat sibi iurif-

isdictione, quare à delegato appellari debet ad delegantem. At verò Episcopus consentiens in prorogationem transfert à se iurisdictionem in ea causa. Alijs verbis dici potest, quòd Iudex delegatus non suo, sed delegantis iure & auctoritate iudicat, eaque ecclesiastica, si causa ecclesiastica sit; At verò Iudex, cuius iurisdictione prorogatur, proprio iure iudicat, quòd fieri non potest, si Iudex laicus sit, quippe iurisdictionis ecclesiasticæ incapax. Accedit, quòd prorogatio fieri debet ad similia, iurisdictione autem ciuiliis nimis diuersa est & dissimilis ecclesiasticæ, ergo illa ad hanc extendi non potest.

CAPITVLVM XIX.

Proposuiti.

PARAPHRASIS.

Qui à Iudice suo ad instantiam aduersarij legitimè citatus, & ita in causa illa præuentus fuit, non potest mutando forum per translationem domicilij prius illud iudicium declinare.

SUMMARIVM.

1. Præuentus à iudice competente per citationem, forum illius in ea causa declinare non potest.
2. Transferens domicilium ex loco, statim liberatur iurisdictione, quamprimum territorio egressus est, nisi in loco mutati domicilij contractum instituerit, tum in optione actoris est eum in altero loco conuenire.

NOTANDVM I. Præuentus à Iudice competente per citationem, forum illius in ea causa declinare non potest, nam vbi iudicium coeptum est, ibi etiam finiri debet. l. ybi, 30. ff. de iudic. Tametsi verò textus noster duntaxat loquatur de eo, qui ratione domicilij aut beneficij residentiam postulantis, ideòque absolutè subditus est, tamen idem quoque dicendum de eo, qui subditus est secundùm quid, videl. ratione debiti

biti aut contractus, quod per citationem præuentus effugere non possit Iudicis potestatem, quod minus contra illum procedi possit tanquam contumacem, nisi se sistat & respondeat, vti dicitur in c. sequente.

NOTANDVM II. Transferens domicilium ex loco statim liberatur iurisdictione, quamprimum territorio egressus est, ita vt nisi per citationem antè præuentus fuerit, contra eum iurisdicção exerceri non possit. Excipe, nisi in loco mutati domicilij contractum instituerit, tum in optione actoris est illum conuenire, seu in loco domicilij acquisiti, seu domicilij relicti, vbi contraxerat. Ita intelligi debet lex secunda. C. de iurisd. & docet Speculator lib. 2. part. 1. de competentis Iudicis aditione. §. 1. n. 33. Felin. hic n. 1. Qui rectè limitat, nisi vnà cum mutatione domicilij aut iurisdictionis mutetur etiã status personæ, vt si quis clericus ordinatus vel religiosus effectus sit, ratione contractus antea instituti conueniri debet coram Iudice ecclesiastico, non ciuili; idemque dicendum, si quis post commissum delictum ad statum ecclesiasticum se conferat, dummodo citatione præuentus non sit, alioquin enim Iudex secularis saltem ad multam pecuniariam procedere potest. Vide quæ dixi lib. 4. Th. mor. tr. 9. c. 4. q. 3.

Ex dictis soluantur casus. Primus, Visitator Ordinis præcepit Priori vel Abbati Monasterij, vt è loco non discederet; quia eum visitare vellet: Prior post acceptum mandatum legitimã auctoritate transfertur ad alterius Prouinciæ Monasterium: quæritur, an per hanc translationem liberatus sit à Visitatore prioris Prouinciæ. Rectè respondet Abbas hic n. 10. vel Visitator Ordinis visitare voluit ratione officij, & deposito officio liberatus est, vel voluit eum visitare ratione commissi criminis, tum per mandatum permanendi censetur præuentus, quippe cum sit instar citationis efficientis personam, sed in priore casu mandatum afficiebat personam.

Alter casus. Episcopus ob præcedens aliquod factum tulit sententiam, vel particularem, videl. nisi Titius, qui rem abstulit, in-

tra mensem restituat, aut satisfaciat, in excommunicationem cadat, vel generalem, videl. qui hanc rem abstulit, nisi intra mensem restituat, excommunicatus sit: vtroque casu in excommunicationem labetur iniustus rei detentor, nisi conditionem impleat, etsi interea forum mutaret, vti tradit Gl. in c. præterea, 40. ver. impedire, de appellat. Abb. cit. n. 10. Sayrus in thesauro, lib. 1. c. 11. n. 19. quia talis sententia censetur iudicialis, per quam persona præuenta & comprehensa est, ita vt mutatione fori non tollatur. Ceterum, si nudum præceptum subdito nullà præcedente eius culpa impositum sit, v. g. clerico Sacerdoti, vt quot diebus dominicis sacrificet, postquam is iurisdictione præcipientis solutus fuerit, etiam à præcepto liber erit, vti Sayrus l. c. notauit.

CAPITVLVM Vlt.

Licet.

PARAPHRASIS.

Cum Episcopus quidã Romæ vt peregrinus versaretur, aliquis ei litem mouit, sed ille exceptionem fori declinatoriã opposuit, eò quod nec ratione delicti, nec contractus, neque domicilij, neque rei litigiosæ apud Sedem Apostolicam forum sortiretur. Hanc exceptionem reiecit Gregor. IX. quia licet ordinariè his tantum de causis aliquis forum sortiatur, tamen speciale hoc habet Ecclesia Romana, cum sit omnium ecclesiarum magistra, quod in ea reperti compelli possint ad respondendum, nisi ob necessariam causam eò aduenissent, tum enim ius habent, litem domum suam reuocandi.

SUMMARIUM.

1. Ordinarius modus declinandi forum iudicis est, si reus conuentus dicat, se iurisdictioni subditum non esse, & dicitur hæc exceptio fori declinatoria ratione personæ, præterquam alie adhuc due sunt; vna, ratione causæ; altera, ratione loci.

k 2. Qua-

2. Quatuor modi sunt ordinarij acquirendi forum. 1. Ratione delicti. 2. Contractus. 3. Domicilij. 4. Rei sita in territorio: precipue est domicilij, presertim habitationis. Extraordinarie aliquis conueniri potest Roma, si ibi existat, & per spontaneum consensum ac prorogationem possunt se laici subicere iurisdictioni aliena, etiam in causis criminalibus, saluo interim iure iudicis ordinarij.
3. Ratione delicti unusquisque efficitur subditus eius, in cuius territorio deliquit.
4. Excipe primo, nisi consuetudo regionis obtineat, ut reus fugiens ex loco delicti ad ciuitatem confederatam, ibi puniri possit, vel remitti.
5. Excipe secundo, si statutum loci sit, ut fur famosus, seu qui furti repetuit, suspendatur, eius furtum in loco commissum aggrauatur ex furtis alibi commissis.
6. Excipe tertio, vagabundus, ubicunque reperitur, puniri potest de delictis ubique commissis.
7. Excipe quarto, quod ob grauissimū crimen aliquis, proscribi possit, facta potestate alys eum occidendi, ubicunque deprehensus fuerit.
8. Si delinquens in diœcesi, aut territorio, inde discesserit, non praeventus citatione, desinit esse iurisdictioni subiectus, ut postea comparere non teneatur.
9. Si reus ex loco delicti fugiat in aliud territorium suum sub eodem principatu, tum index requisitus à iudice domicilij reum capere & remittere debet. In Germania autem huius remissionis nulla est obligatio, sed criminosus puniri potest in loco Imperij, ubi repertus fuerit.
10. Si territorium, ad quod reus fugit, est in alieno principatu, iudex delicti à iudice territorij, in quo moratur reus, petere potest, ut arreslando eum compellat ad satisfactionem. Neuter autem index personam secundum se punire potest, nisi in casibus extraordinarijs.
11. Clericus, qui crimen commisit in hac diœcesi, si fugiat in aliam, potest ab Episcopo loci, in quo reperitur, citari, & capi, eumque remittere ad Episcopum delicti, vel potius domicilij seu beneficij.
12. Si iudicis officiales reum persequantur, dum in aliud territorium fugiendo saluare se nititur, debent post fines sui territorij desistere, nisi reus sit latro, prado, aut publica pacis violator, religiosus fugitiuus vel apostata.
13. Peregrinus delinquens in territorio alieno puniri debet secundum statuta loci, ubi deliquit, si factum prohibitum sit communi iure, tam in loco delicti, quam domicilij.
14. Si factum tantum est prohibitum in loco delicti per propriam legem, puniri non debet peregrinus, nisi scandalum dederit, aut leges sint, qua specialiter concernant publicam tranquillitatem, aut pacificam communicationem peregrinorum cum incolis.
15. Quando dicitur ratione contractus forum acquiri, nomen contractus latissime sumitur, ita ut etiam quasi contractus tutelam, curam &c. comprehendat.
16. Non omnes peregrini contrahentes in loco, ubi contrahunt, conueniri possunt, sed y tantum, qui expresse vel tacite se obligant ad reitraditionem, vel solutionem ibi faciendam.
17. Contrahens repertus in loco, ubi contraxit, ab eius loci iudice ordinario citari potest in illa causa, & compelli ad comparandum, & si contumaciter non compareat, nec sati faciat, missio fieri potest in bona, & possessiones eius.
18. Index domicilij iurisdictionem habet in personam, etiam extra territorium commorantem, ita ut quog, delinquentem extra illud, nisi praeventus sit, citare, punire, & ob contumaciam etiam excommunicare iudex ecclesiasticus domicilij possit, & concurrat cum iudice delicti.
19. Et hac locum etiam habet in ys, qui quasi do-

si domicilium habent in aliquo loco, videl. studiosi in Academia, milites praesidiarii, famuli & ancilla, vt in eo conueniri possint super contractibus & delictis, etiam alibi commissis.

20. Orta controuersia de re immobili in alio territorio sita, si res feudalis non sit, in optatione actoris est, agere coram iudice domicilij, vel loci, in quo res sita est.
21. Aduena ex quacunque causa seu delicto, etiam alibi commissio, Roma conueniri potest; accedentes autem illuc ex causa necessaria, vel quasi necessaria, v. g. in causa ecclesiae sita, vel vt legatus &c. petere potest, vt causa domum reuocetur, seu ad iudicem domicilij.

NOTANDVM I. Ordinarius modus declinandi forum iudicis est, si reus conuentus dicat se iurisdictioni subditum non esse vno ex quatuor modis positus in textu; & dicitur haec exceptio fori declinatoria ratione personae, praeter quam sunt aliae duae declinatoriae exceptiones, vt docet Clarus in pract. q. 31, n. 1. videl. ratione causae, vt si laicus conuentus coram iudice seculari in causa decimarum, vel iuris patronatus dicat eam ecclesiasticam esse, & ad forum ecclesiasticum spectare, ac denique ratione loci, videl. si aliquis in loco exempto vel extra tribunal iudicis ordinarij conuentus excipiat locum non esse competentem.

NOTANDVM II. Quatuor sunt modi ordinarij, quibus aliquis forum acquirat, seu iurisdictioni subijciatur, ratione delicti, contractus, domicilij, & rei sitae in territorio. Dixi hos esse modos ordinarios; extraordinarie autem aliquis conueniri potest Romae, si sibi existat, cum ea communis omnium fidelium patria sit, deinde per spontaneum consensum ac prorogationem subijcere se possunt iurisdictioni alienae etiam in causis criminalibus, vt ex communiore docet Farinacius lib. 1. tit. 1. q. 7. n. 4. Ita tamen vt iudici ordinario ius integrum maneat, ex officio procedendi contra criminofum. Inter quatuor illos modos acquirendi iurisdictionem praecipuus est domicilium, praesertim

habitationis, vt dixi in c. praeced. Verum de singulis modis speciatim agemus.

De iurisdictione contracta in loco ratione delicti Dico I. Vnusquisque ratione delicti efficitur subditus eius, in cuius territorio deliquit. Ita habetur hic, & c. postulasti. 14. hoc tit. & c. 1. de raptoribus.

NOTA verba singula. Primò dictum est Vnusquisque, nam etiam locum habet, si persona in dignitate constituta sit, vt, si Episcopus in aliena dioecesi, vel Archiepiscopus extra prouinciā suam delinquat, ab ordinario eius loci Episcopo puniri poterit, quia iudicatur vt persona priuata, sicuti ex communi docet Abb. hic n. 6. Clarus in praxi q. 35. n. 14. idemque tradit hic Felinus de exemptis regularibus & secularibus, quòd ratione delicti commissi in loco secundum se non exempto ab Ordinario loci citari & puniri possint, perinde vt peregrini. Verum Tabiena ver. excommunicatio, monet, Archiepiscopos & regulares priuilegium Apostolicum habere, vt etiam ratione delicti a locorum ordinarijs exempti sint. Talibus verò priuilegijs, quod ad regulares attinet, non nihil derogatum est in Trid. sess. 25. c. 14. de regular.

Secundò dictum est: Quòd aliquis subditus efficitur ratione delicti, quare cum peregrini non obligentur statutis, & generalibus sententijs locorum, in quibus pro tempore versantur, ideòque eas non obseruando nihil delinquant; consequens est, quòd ob eam causam citari aut puniri non possint, sicuti explicauimus lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 1. c. 4. coroll. 2. Igitur tradita doctrina de acquisitione fori per delictum, locum tantum habet in transgressione legum, quibus etiam peregrinus obligatur, seu quia diuini iuris sunt, seu quia positiui iuris communis, vt si peregrinus in ciuitate blasphemet, aut carnes interdieto die comedat.

Denique dixi necesse esse, vt in territorio delictum committatur, at verò ob delicta alibi commissa non potest peregrinus puniri, cum eorum ratione non sit subditus, & ita ex communi docet Farinac. cit. q. 7. n. 5. Clarus in pract. q. 38. n. 16.

k 2

Sed

4 Sed excipiendum est I. Nisi consuetudo regionis obtineat, ut reus ex loco delicti fugiens ad civitatem confederatam, inibi puniri possit, vel remitti. Qua de re Bart. in l. non dubito. ff. de captivis. Farinaeus cit. q. 7. n. 2.

5 Excipiendum II. Si statutum loci sit, ut fur famosus, seu qui furta repetiuit, suspendatur, eius furtum in loco commissum aggravatur ex furtis alibi commissis. arg. l. 3. iuncta Gl. C. de Episcopali audientia, & docet Clarus lib. 5. sententiarum. §. furtum. n. 10.

6 Tertio excipitur, vagabundus, ubique reperitur, puniri potest de delictis ubique commissis, quare dici solet, quod vagus, id est, qui nullibi domicilium habet, ubique fortitur forum. Ita Gl. recepta in l. 2. ver. reperiuntur, ubi de criminibus. Bernardus Diaz in practica criminali canonica. c. 9. in fine. Cauarruias. & dixi lib. 5. Th. mor. tr. 6. c. 10. n. 7.

7 Excipitur IV. Quod ob gravissimum crimen aliquis proscribi possit facta potestate alijs eum occidendi, ubique reperitur. Qua de re dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. Sed

QVÆRITUR I. Si Titius existens in diocesi Augustanâ famulo suo mandavit, ut clericum persecuteret, qui eum percussit in diocesi Constantiensi, vtri Ordinario Titius ratione delicti subiectus sit. Resp. cum Abbate hic, n. 27. Felin. n. 14. Claro. q. 38. n. 6. quod Constantiensi, inspicitur enim locus, ubi delictum factum est, idemq; dicendum de ratu habente, quod suo nomine in alia diocesi homicidium commissum est, teste Claro cit. l. n. 7. Idem quoq; eadem ratione tradit Bart. in l. libellorum, n. 7. de accusat. de iaculante ex diocesi vnâ, & occidente existentem in diocesi alterâ, subiectum esse Episcopo loci, ubi homo occisus est, & est probabilis sententia; sed altera comunior, quam secutus sum lib. 5. Th. mor. tr. 5. c. 5. n. 7. quod ab utroq; Episcopo citari possit, & detur locus præuentioni, sicuti si quis in confinibus hominem occidisset, in eo verò omnes consentiunt, si vulnus homini inflixeris in hac diocesi, qui abiens mortuus est in altera, præferendum esse iudicem loci, ubi percussio facta, quia ibi cen-

setur delictum, ipsumque adeò homicidium commissum, vbi causa efficax posita, & in subiectum deriuata est, ut docet Bartol. l. cit. argum. l. ait lex, ff. ad l. Aquiliam: & consentiunt, quæ dixi cit. c. 1. n. 8. de homicidio iniurioso.

Dico II. Si delinquens in diocesi, aut territorio inde discesserit, nõ præuentus citatione, desinit esse iurisdictioni subiectus, ut postea citatus comparere non teneatur. Sumitur ex Clem. 2. de sent. & re iudicat & docet hic Innoc. n. 1. Abb. n. 8. Fel. n. 1. Stephanus Auila de censur. p. 2. c. 3. dub. 2. concl. 2. Rationem dat Gl. in Clem. 1. hoc tit. Quia delinquens in territorio non est subditus absolute, sed tantu respectu loci, dum ibi existit, quare si egrediat, desinit esse subditus quoad personam, quia tamen ratione delicti compelli potest ad satisfaciendum pro iniuria ac damno, ideo si bona ibi reliquit, ea occupari possunt à Iudice delicti, si requisitus satisfacere aliter nolit, vti Innoc. & Abb. hic docent, Imola n. 7.

Dixi autem, nisi citatione præuentus sit, nam si præuentus sit, postea iterum etiam extra territorium existens citari potest, & propter contumaciam excommunicari, eò quod per citationem in territorio factam comprehensus sit, & subiectus in ordine ad hanc causam, vti docet Dominicus in c. 1. colu. 3. & 4. hoc tit. in 6.

QVÆRITUR II. Quid agendum, si reus ex loco delicti fugiat in aliud territorium, manebitne impunitus? Resp. Vel territorium est sub eodem principatu, tum Iudex requisitus à Iudice domicilij reum capere & remittere debet, ut videre est apud Couarruiam in pract. c. 10. n. 11. Francum in cit. §. contrahentes, n. 13. quamquam in Germania huius remissionis nullam obligationem esse, sed quemuis criminofum in loco Imperij, vbi repertus fuerit, puniri posse dixi lib. 3. Th. mor. tr. 6. c. 5. n. 15. Vel territorium sub alieno principatu est, tum Iudex delicti instare potest apud Iudicem, in cuius territorio reus moratur, ut arrestando eum compellat ad satisfactionem pro damno & iniuria, sicut quilibet creditor id petere potest, si debitor de fuga suspectus sit.

vbi

vti docet Couarruias l.c. n. 10. Sed personam secundum se neuter Iudex punire potest (nisi in casibus suppositis supra ante q. 1. dicendo 1.) idque per accidens censerit debet ob defectum jurisdictionis, vti docet Farinacius q. 7. n. 30. & videri potest Clarus q. 38. n. 20.

11 Corollarium. Si clericus in hac diocesi crimen committat, ob quod spectato communi jure puniendus sit, & inde fugiat in quamcunque diocesim, ab Episcopo loci, in quo reperitur, citari & capi potest, non vt ipsum puniat (nisi regionis consuetudo permittat) sed vt eum remittat ad Episcopum delicti, vel potius ad Episcopum domicilij seu beneficii, vti hic notauit Franciscus l. c. Ratio est, quia episcopatus omnes sub eodem Principe sunt, videlicet Papa, qui lege publica iubet facinorosos clericos constringi ac puniri: Igitur vnus Episcopus alteri auxilium præbere potest, & quandoque debet. Id verò tunc maximè locum habet, si reus in suspensione aut excommunicatione contumaciter persistat, quia ita continuò Ecclesiam offendit, consequenter subiacet quodammodo jurisdictioni Episcopi, in cuius diocesi versatur, saltem vt ad emendationem & absolutionem petendam compelli possit.

12 QVÆRITVR III. Si Iudicis officiales reum persequantur, dum in aliud territorium fugiendo saluare se nititur, debentne desistere post fines sui territorij? Videtur affirmandum, quia realem capturam exercendo in alienam terram, jurisdictionem inuadere censerentur, quamobrè ita captus contra iura statim relaxari debet, sicut tradit Gaill l. 1. de pace publica, c. 16. n. 25. Qui excipit, nisi sint latrones, prædones, vel similes pacis publicæ violatores, quorum persecutio in Imperio extra territorium persequentis continuari potest constitutione imperiali Augustæ promulgata Anno 1559. §. *Unde notat*. Multo verò id magis locum habet in religiosis fugitiuis aut apostatis, quòd à Prælato ordinis vel ex mandato eius ab alio quocunque Iudice vbiq; capi & reduci possint, ob personalem eorum obligationem, ar-

gum. l. 1. C. vbi quis de curiali, vbi id Baldus annotauit, generalem regulam tradens: omnes homines, qui debent obedientiam perpetuam, si ab obedientia fugiunt, possunt propria auctoritate capi, vt si monachus fugiat à monasterio, vel vxor à viro, quemadmodum & furem, vel debitorem alium fugientem persequi licet, & quæ portat, ei auferre. l. ait prætor 10. §. si debitorem, ff. quæ in fraudem, dummodò causa notoria sit, seu questio non sit de subiectione, aut de subtractione iniusta, altoquin Iudici loci præsentandus esset captus, vt causam cognitam ei res auferatur, aut persona fugitiua reducatur, vti docet etiam Bart. n. 2. Rationem huius doctrinæ affert Auila cit. cap. 3. disp. 2. dub. 4. quoniam talis captio non est per modum jurisdictionis, sed potius vindicationis, aut necessariæ defensionis.

Alium casum affert Baldus in l. 1. n. 24. C. de Summâ Trin. quo liceat reum capere & punire extra territorium, videlicet si miles in exercitu delinquat, tunc belli dux militem punire potest, vel loci magistratum dare puniendum, quandoquidem generali consuetudine exercitus vniuersitatem constituit, vniuersitas autem jurisdictionem prorogare potest, ait Baldus.

13 QVÆRITVR IV. Num peregrinus delinquens in territorio alieno, puniendus sit secundum statuta & consuetudines loci, an domicilij sui. Resp. & Dico I. Si factum in vtroque loco, seu communi jure prohibitum sit, tunc puniri debet secundum statuta loci, vbi deliquit. ita Bart. in l. 1. n. 20. Baldus n. 22. C. de Summâ Trinitate. Clarus q. 85. n. 3. in praxi. Ratio est, quia delinquendo fit subditus jurisdictioni, neque refert, etsi nesciat poenam statuti, quia voluntariè delinquendo fit obnoxius poenæ etiam nolens, vti notat Baldus ibidem, & docui lib. 1. Th. mor. tr. 4. cap. 20. n. 6. cum quibusdam exceptionibus.

14 Dico II. Si factum prohibitum tantum sit in loco delicti per propriam legem, v. g. ne carnes comedantur in vigilia S. Wolfgangi, tum quia peregrinus eâ lege non adstringitur, puniri non debet, nisi scandalum

dederit. Excipiendæ autem sunt leges, quæ specialiter spectant ad tranquillitatem alicuius communitatis, aut pacificam communicationem peregrinorum cum incolis, v. g. vt nemo frumentum efferat, nemo noctu per plateas arma ferat; ignorantia tamen harum legum probabilis peregrinos excusat. Vide quæ dixi cit. tr. 4. c. 12.

Venio ad alterum modum sortiendi forum ratione contractûs, vbi tria disputari solent. I. De quibus contractibus hîc sermo fit. II. An omnes contrahentes in loco, vbi contrahunt, iurisdictioni subijciantur. III. Quis sit effectus huius subiectionis.

¹⁵ Ad 1. Resp. cum Gl. hîc. Nomen contractûs latissimè accipi, vt comprehendat etiam quasi contractûs, videlicet si quis tutelam, curam, negotia alicuius administret, vnde obligatio oritur, l. hæres 19. §. si quis, & l. seq. ff. de iudiciis.

¹⁶ Ad 2. Resp. cum Gl. in c. 1. §. contrahentes, eod. tit. in 6. Abbate hîc n. 33, Felino n. 19. Non omnes peregrinos contrahentes in loco, inibi conueniri posse, sed si vel expressè vel tacitè se obligent ad rei traditionem, vel pecuniæ solutionem ibi faciendam, id verò præsumitur, si diu in loco moram trahant, vel inibi negotium aggressi sint, vel tabernam, aut horreum conduxerint ad vendendum, cit. l. hæres, §. proinde. Item, si consuetudo loci postulet, vt qui merces in foro, aut in tabernâ emunt, statim solutionem faciant, vt hîc Felinus notat n. 19. Denique si natura contractûs postulare videatur, vt videlicet emptori, cum pretium pro mercede obrulit, statim eius traditio fiat, vti Francus notauit l. c. n. 4. Cessante verò tali præsumptione, si peregrinus in loco alieno contrahat, non ideò ibi conueniri potest, sed in loco domicilij sui, vti habetur cit. §. proinde, quare Gl. ait in §. contrahentes, quòd solius contractûs ratione, si nihil aliud concurrat, non sortiatur aliquis forum.

Ceterùm si peregrinus de fugâ, aut aliâ fraude suspectus sit, cogi poterit ad satisfaciendum, quòd soluere velit in loco domicilij secundum Gl. in cit. §. proinde, ver. debeat, & sumitur ex l. 2. §. penult. iuncta Gl. ff. de iudiciis.

Et simile est, quòd tradit hîc Felinus n. 20. Baldus in l. 3. C. vbi in rem actio. Si peregrinus in equo tuo transeat, quem tibi repetenti reddere non vult, quòd eum cogere possis, vt satisfat de sistendo se coram suo Iudice, alioquin sequestrabitur equus.

His adde, si quis institorem seu factorem in loco alieno constituerit, tum in pertinentibus ad eiusmodi negotiationem dominum conueniri posse coram Iudice loci, vbi negotium cum factore geritur, quia perinde est, ac si cum domino ibi contractum sit, cit. l. hæres, §. apud, iuncta Gl. ver. defendere, & §. vlt. Instit. quòd cum eo.

Ad 3. Resp. Si contrahens reperitur in loco, videlicet diocesi, in quâ contraxit, tum ab Ordinario citari potest in illa causa, & compelli v. g. per censuras ad comparandum, postquam verò ex territorio excessit, tunc ad comparandum personaliter per citationes & censuras compelli nequit; si tamen requisitus seu citatus contumaciter non compareat, nec satisfaciatur, fieri potest missio in bona & possessiones eius, si inibi habet; si minus, decernatur missio faciendâ in bona alterius diocesis ad requisitionem Ordinarij eiusdem loci. Ita habetur in cit. §. contrahentes, & explicat ibi Gl. Ancharanus col. 1. Francus num. 1. & 3, Innoc. hîc in principio; Abbas n. 36.

Tertius ac præcipuus modus sortiendi forum est ratione domicilij seu habitationis permanentis; nam ratione eius absolutè aliquis subditus esse censetur, sicut docet Gl. in Clem. vn. ver. subditos, hoc tit. Imola hîc n. 9. vbi ait, quòd domicilium habitationis sit proprium & naturale forum. Consistit autem hæc proprietas præcipuè in duobus. I. Quòd Iudex domicilij iurisdictionem habet in personam, etiam dum extra territorium moratur, cum enim absolutè subditus sit, non tollitur eius subiectio per egressum, quamobrem personam etiam absentem constringere potest, non quidem reali citatione seu capturâ (cum iste actus iudicialis sit, per quem aliena iurisdictione violaretur) sed citatione verbali, hæc enim in proprio territorio decernitur, licet eius intimatio per nuntium

tium foris fiat, vti bene docet Ioan. Monachus in cap. 1. n. 8. eod. tit. in 6. Felinus hic n. 24. Abbas n. 42. vbi concludit, quod subditus v. g. clericus beneficiarius per præceptum ac sententiam Episcopi sui etiam extra territorium præcipienti existens excommunicari possit, sicuti latè explicauit lib. 1. Th. mor. tract. 5. p. 1. c. 4. n. 7. & 8. licet contradicat Atilia de censuris p. 2. cap. 3. D. 2. dub. 2. concl. 4 & 5. Alterum est, quod subditus ratione domicilij, nisi extra territorium delinquens præuentus sit, citari ac puniri possit, atque ob contumaciam etiam absens excommunicari à Iudice domicilij, vti docui cit. n. 7. & tradit Abbas cit. n. 42. Imola in c. 3. hoc tit. Gl. in l. 1. ver. conueniuntur. C. vbi de crimin. quamobrem Iudex domicilij concurrat cum Iudice delicti, ita vt detur locus præuentio- ni, atque in optione actoris sit, coram quo hominem conuenire malit, vt ex communi docet Francus cit. §. contrahentes, not. 2. & sumitur ex cit. l. hæres. §. vlt.

19 **Quæstio** est, vtrum, quæ dicta sunt, etiam locum habeant in ijs, qui quasi domicilium tenent in aliquo loco, videlicet studiosi in Academia, milites præsidarij, famuli & ancillæ, licet alibi domicilium fixum habeant, quod interim, dum in loco quasi domicilij morantur, ibi conueniri possint super contractibus & delictis etiam alibi commissis. Responsio est affirmatiua cum Gl. in l. 2. C. vbi de crimin. Farinacio in præxi, cit. q. 7. n. 5. Abbate in c. quod clericis n. 5. & videri possunt, quæ dixi lib. 5. Th. mor. tract. 6. cap. 10. num. 5.

Vltimum modum sortiendi forum ratione rei sitæ in territorio explicauit in c. 3. hoc tit. Neque hic aliud notandum, nisi quod orta controuersia de re immobili in alio territorio sita (si ea feudalis non sit) etiam Iudex domicilij adiri potest, ita vt in actoris electione sit, coram quo agere malit. Quod si verò ad Iudicem domicilij reum traxerit, is- que eum condemnarit, tum ex denuntiatione huius Iudicis sententiam latam exequi debet Iudex loci, vbi res sita est.

21 **NOTANDVM III.** Aduena ex quacunque causa seu delicto, etiam alibi commissio,

Romæ conueniri potest, cum ea communis omnium patria censeatur, l. Roma 33. ff. ad municipalem, & videri potest Farin. cit. q. 7. n. 12. Clarus q. 38. n. 25.

Ceterum si quis ex causa necessaria vel quasi necessaria eò accesserit, v. g. in causa Ecclesiæ suæ, vel vt Legatus, vel causa testimonij ferendi, aut appellaturus contra sententiam; tali casu petere potest, vt causa domum reuocetur, seu ad Iudicem domicilij, quia ibi melius instructus sit, & hæc facultas concedi solet, nisi periculum in morâ sit, vt in causâ electionis Prælati, quæ diu differenda non est.

CAPITVLVM PRIMVM

cod. Tit. in 6.

Romana.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus vel Officialis eius de causis subditorum Suffraganei sui cognoscere non potest absque licentiâ Suffraganei, quamuis vtraque pars litigantium velit, idque locum habet, siue ad Archiepiscopum appellatum sit, siue non.

SUMMARIVM.

1. Clerici sine consensu Episcopi etiam in-
iurisdictionem Metropolitanam prorogare
nequeunt.
2. Si ad Archiepiscopum, vel alium Super-
iorem appellatum sit, debet is prius de
iustitia appellationis cognoscere, quam
de causa principali.
Neque partes possunt consentire in iudi-
cem appellationis Papæ inferiorem, vt
hic ordo prætermittatur.
3. Et hæc locum habent etiam in delegato
Papæ.
4. Clerici absque consensu Episcopi in quof-
cunque arbitros compromittere possunt
in ordine ad bona patrimonialia, & ea,
quorum alienatio ipsis interdicta non
est.

5. Con-

5. *Contrahens, si in foro per se sit, citari, & si contumax est, etiam carcerari potest; si autem absens est, citari quidem, & in contumacia constitui potest, sed tantum in ordine ad effectum missionis in bona.*

6. *Non potest aliquis auctoritatem iudicalem contractus præbere extra territorium suum, nec Notarius instrumentum authenticum conficere extra territorium eius, à quo potestatem accepit: factum tamen ab eo legitime instrumentum ubique fidem habet.*

NOTANDUM I. Clerici sine consensu Episcopi etiam jurisdictionem metropolitanam prorogare nequeunt, vide quæ dixi c. 18. supra hoc tit.

NOTANDUM II. Si ad Archiepiscopum, vel alium Superiorem appellatum sit, debet is prius de iustitiâ appellationis cognoscere, quàm de causâ principali; neque possunt partes consentire in Iudicem appellationis Papæ inferiorem, ut hic ordo prætermittatur, sicuti hic docet Dominicus col. 2. Francus not. 1. Etenim Superior, si appellationem friuolam esse intelligat, causam remittere debet ad Iudicem à quo, præterquàm si is appellationi detulerat, seu in eam confenserat: hoc casu tamen si causa appellandi minus legitima iudicetur à Superiore, remittere eam non tenetur, quamuis possit, e. cum appellat. 5. de appellationibus.

QUÆRITUR I. Quæ hic dicta sunt, num etiam locum habeant in delegato Papæ. Respondet affirmatiuè, si Papa solum causam appellationis, non item principalem delegauit, quia vniuersim verum est, quod clerici non possint absque consensu Ordinarij prorogare jurisdictionem alterius Iudicis, ut bene hic docet Francus n. 2. Vide quæ dicentur in c. 1. de appellat. in 6.

QUÆRITUR II. Vtrum clerici absque consensu Episcopi in quoscunque arbitros compromittere possint. Affirmat Gloss. hic ver. iudice. & rectè quidem, si sermo sit de bonis eorum patrimonialibus, & ijs redditibus, quorum alienatio ipsis interdicta non est, at verò cum præiudicio Ecclesiæ clericos

compromittere non posse, constat ex e. 3. extra de arbitris,

§. Neque.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus non potest cogere subditos Suffraganei, ut delegationem alicuius causæ suscipiant, vel præcepta aut sententiam exequantur, neque ut in causis ad ipsum per appellationem deuolutis testimonium perhibeant, præterquam si consuetudo loci aliud obtineat.

Ratio reddi debet, quia Archiepiscopus non habet jurisdictionem in subditos Suffraganei, nisi in causâ appellationis, & alijs casibus specialibus, ut alibi dixi. At verò Suffraganeo mandare potest Episcopus, ut sententiam v. g. in causâ appellationis laicam exequatur contra subditum suum, item ut compellat subditum ad ferendum testimonium, seu in causâ appellationis, seu in alia; nam id generale est in omni iudice, si testimonio aliquorum indigeat, qui subditi ei non sunt, ut mittat ad Superiorem ipsorum, eumque roget (vel si ipsi subiectus est, sicuti in hoc casu, præcipiat eidem) ut testes audiat, & attestaciones eorum remittat, l. Iudices, C. de fide instrument. vel si commodè fieri possit, ipse testes ad alienum Iudicem venire iubeat,

§. Nec etiam.

PARAPHRASIS.

Si Archiepiscopus causas Prælatorum, aut subditorum ex diocesi Suffraganei ad se deuolutas per viam appellationis cognoscat in curiâ suâ, non ideo etiam contra eosdem admittere & cognoscere debet querelas pro salarijs aduocatorum.

Obijcies. Iudex cognoscens de causâ principali cognoscere etiam debet de eiusmodi accessorijs, si videlicet salarium in eâ causa Procuratori promissum non solvatur, argum. l. procurandum, 13. ille procul, C. de iudicijs. Respondet Gl. hic ver. in causis, id lo-

id locum habere in iudice proprio & ordinario; secus est in iudice appellationis; partim ne causa principalis diutius protrahatur, partim quia causæ hæc non sunt connexæ, sed facillè separari possunt, vt expedità causâ principali, altera de salario ad ordinarium Iudicem remittatur, ita Ioan. Monachus hîc n. 4. & 6. Ceterùm si clientulus procuratori suo expressè aut præsumptiuè promisit salarium se soluturum in curiâ Metropolitanâ, videtur ibi conueniri posse, siue promissio facta fuerit in diœcesi Archiepiscopali, siue in diœcesi Suffraganei, quia non attenditur locus promissionis, sed destinatæ solutionis, vt dictum est in c. vlt. vbi ita respondet Abbas n. 32. neque contradicit Innoc. IV. in hoc c. cum id solùm respondisse videatur, cognitionem de salariis non esse per se connexam cum causâ principali.

§. Contrahentes.

PARAPHRASIS.

Si alienigenæ, seu qui alienæ diœcesis sunt, contrahant in diœcesi Archiepiscopali, cogi non possunt ad respondendum coram Metropolitanâ, nisi ibi reperiantur; verùm si citati comparere nolint, vel malitiosè se occultent, ne citari possint, tum in bona eorum missio decernetur, si in diœcesi Archiepiscopali habeant, sin minus, tum denuntiabitur diœcesano ipsorum Episcopo, vt missionem faciat.

NOT. vn. Discrimen est inter eum, qui contrahens in loco persistit, & eum, qui discessit, aut non comparet, quod si præsens sit, citari, & si contumax sit, etiam carcerari possit; at verò si absens, tum citari quidem, & in contumacia constitui potest, sed tantùm in ordine ad effectum missionis in bona, ita gl. magna hîc. Francus n. 2. & dixi suprâ c. vlt. videri etiam hîc potest Ioan. Monachus, qui admonet ex communi doctrinâ, in contractibus non esse locum remissioni, sicuti in delictis, id est, qui in alieno territorio contraxit, & inde discessit, non est remittendus ad Iudicem contractus, sicuti spectato communi Iure, qui in alieno terri-

torio deliquit, & inde fugit, remittendus est ad Iudicem delicti, si sub eodem principe sit, vt dixi cit. c. vlt.

§. Nec Clericos.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus suos Clericos ne mittat in diœcesin Suffraganei, vt auctoritatem præbeant contractibus ibi ineundis aut recognoscendis, nec eâ occasione aliquem subditum Suffraganei ad suum tribunal citare potest, sed nec censuram inferre, si citatus ab ipso aliquis Suffraganei officialis aut subditus, vt coram se ad instantiam querelantis respondeat, accedere recuset.

NOT. vn. Non potest aliquis auctoritatem 6
judicialem contractui præbere extra territorium suum; & simile quiddam est de tabellione, qui non potest instrumentum authenticum conficere extra territorium eius, à quo potestatem accepit, v. g. Notarius imperialis extra imperium: sed quod legitime à Notario aut Iudice in proprio territorio instrumentum factum est, vbique fidem & auctoritatem habet; ita hîc Francus n. 2. & c. seq. n. 3. ibidem Dominicus arg. c. Cum dilectus 9. de fide Instrumentorum.

CAPITVLVM II.

Sæculares.

PARAPHRASIS.

Quodam loco Iudices sæculares, si quis coram eis aduersus personas Ecclesiasticas exhibuisset instrumenta, aliâque probationes, damnabili præsumptione compellebant Ecclesiasticos ad soluenda debita, cum tamen nulla ipsis laicis iurisdicção competat in personas Ecclesiasticas. Eo intellecto mandat Bonifacius VIII. vt per Ordinarios locorum censuris ab eiusmodi temeritate arceantur.

SVMMARIVM.

1. *Etsi propria Confessio, aliâque probatio liquida producatnr coram Iudice incompente*

ente, non tamen is potest executionem facere, aut imperare.

2. *Ordinarij locorum per censuras coercere debent Iudices seculares, ne Ecclesiasticam immunitatem violent.*

NOTANDVM I. Tamen si propria confessio, aliâue probatio liquida producatur coram Iudice incompetente, non tamen is potest executionem facere aut imperare. Ratio est, quam dat Io. Monachus hîc, quia talis probatio nullius roboris est. *argum. c. 4. de iudiciis.* cùm ergo laicus in causis etiam ciuilibus Iudex sit incompetens aduersus Clericum; sequitur, quòd nec probationes recipere, nec secundùm recepta executionem facere queat. Adde, licet contra Clericum lata sit sententia à suo Iudice, tamen potestatem secularem exequi non posse absque mandato, vt Anchoranus hîc monet, quia executio sententiæ est actus iudicialis. Idem docet gl. hîc. verb. *compellunt.* vbi ait, quòd Bononienses habuerint tale statutum, vt contractum inter Clericos celebratum cum auctoritate Rectoris ipsorum, illi executioni mandarent, v. g. captis pignoribus, vel arrestatis bonis: verùm hoc statutum tanquam illicitum reuocatum fuisse testatur Francus hîc n. 5.

2. **NOTANDVM II.** Ordinarij locorum per censuras coercere debent Iudices seculares, ne ecclesiasticam immunitatem violent; idque tamen si diuturnam consuetudinem prætant, cùm hæc sit corruptela & temeritas potiùs, quàm consuetudo, vt hîc gl. monet; vel tamen si super eâ re laici statutum habeant: quia sicuti sententia laicæ potestatis Ecclesiasticos non ligat, ita nec tale statutum, cùm vtrobique desit iurisdictio, vt hîc gl. margin. ex Anchorano notauit.

CAPITVLVM III.

Cùm C.

PARAPHRASIS.

Soluisti certam pecuniæ summam in defectum debitoris laici, pro quo fideiussoras, & qui te indemnem seruare iuratus

promisit, postea verò cùm satisfacere tibi recusaret, conuenire eum volebas coram Iudice Ecclesiastico. Queritur, vtrum id iure fiat, an verò laicus ille exceptionem fori declinatoriam opponere possit. Respondet Bonifacius, causam hanc ratione appositi iuramenti pertinere ad forum Ecclesiasticum, quare laicum illum per censuram Ecclesiasticam præuiam monitione compellendum esse, vt fideiussorem suum indemnem seruet.

SVMMA R I V M.

1. *Ratione iuramenti appositi, causa qua aliàs ad forum seculare proprie spectaret, efficitur fori ecclesiastici.*
2. *Neque tamen appositio iuramenti mutat forum, ita vt causa ad solum ecclesiasticum Iudicem spectet; sed accumulatur forum foro, ita vt ad vtrumque Iudicem cognitio pertineat, sitque in optione actoris, coram quo debitorem conuenire malit.*

NOTANDVM I. Causa, quæ alioquin ad forum seculare proprie spectat, propter appositionem iuramenti efficitur fori ecclesiastici, ita etiam habetur in c. *Nonit.* 13. Exemplum habes hîc, nam fideiussor, si pro debitore soluere coactus fuit, actione mandati repetere potest omne damnum & interesse, ita vt indemnis seruetur. c. 2 *de fideiuss.* & ad id à Iudice seculari compelli debet debitor, si laicus sit, nisi is iurauerit, quòd vellet indemnem seruare fideiussorem, tum ratione periculi vitandi ad Iudicem Ecclesiasticum trahi potest.

Sed queritur, num appositio iuramenti mutet forum, ita vt causa ad solum Iudicem Ecclesiasticum spectet, an verò accumulatur forum foro, ita vt ad vtrumque Iudicem cognitio pertineat, & in arbitrio actoris sit, coram quo debitorem conuenire malit. priorem partem tenent Monachus & gl. finalis hîc. sed contrarium rectè docent hîc Andreas n. 9. Francus n. 9. quia licet Iudex secularis incompetens sit, si de iuramenti valore agatur, tamen si de iuramento constet, ad eius obseruationem compellere & perjurum punire debet. *l. Si quis. q. 1. c. de transact.* verum-

Verumtamen, si circa obseruationem iuramenti Ius Canonicum discrepet à ciuili, quia ciuile negat tale iuramentum necessario obseruandum esse, Canonicum autem affirmat, tum Iudex secularis sequi

debet Ius Canonicum; & ad id à Iudice Ecclesiastico per censuras compellendus est. 6. 2. De iurando, vbi ratio afferitur, quia periculum animæ vertitur.

TITVLVS III. DE LIBELLI OBLATIONE.

SI appareat Iudicem competentem, seu iurisdictione præditum esse, proximum est, vt libellus ei offeratur, & per hunc reo tradatur, vt sciat is, quid ab ipso petatur, sicuti explicauimus in c. *Dilecti*. 6. De iudiciis, idè post Titulum de foro competente, subiungitur iste de libelli oblatione.

CAPITVLVM I.

Ignarus.

PARAPHRASIS.

Cùm quidam Clerici vel monachi ad Synodum in monasterio S. Medardi habitam, accusationem deferrent, Ignarus Episcopus dixit eam secundum SS. Can. recipi non posse, nisi in scripto libello, quod cùm ipsi audissent, scripserunt, & Synodo porrexerunt.

SUMMARIUM.

1. Duplex est libellus, conuentionalis & querimonialis; ille in ciuilibus porrigitur, iste in criminalibus.
2. In quo differant hæc dua libellorum species.
3. Libellus necessario offerri debet in ordinario iudicio, ita vt ad eius substantiam requiratur.
4. Iudicium summarium est, quod figuram seu solemnitatem ordinis iudicialis, videlicet libelli oblationem, litis contestationem, non requirit; sed ea tantum, quæ ad rei veritatem cognoscendam Iudici necessaria sunt.
5. Si causa exigat, potest Iudex iudicium ordinarium instituere, licet, absolute loquendo,

sufficeret summarium, etiam partibus inuitis; nisi Princeps aliter mandauerit.

6. Iudicia summaria institui solent ob duplicem rationem. Prima est, quòd tales cause sint, quæ celerem expeditionem postulant. Secunda, si modica sint, seu in quibus de paruo & facile reparabili præiudicio agitur.
7. Discrimen inter duos hos modos Summarij processus.
8. Modus formandi positiones.

NOT. I. Duplex est libellus, querimonialis & conuentionalis, secundum gl. ¹ verb. *reclamationis*. Conuentionalis libellus dicitur, qui in causis ciuilibus porrigitur, vt dixi in cit. c. *Dilecti*. querimonialis autem libellus, qui in causis criminalibus. De eo hic agitur, & in l. Libellorum. 3. ff. de accusat. quæ refertur in causâ. 2. q. 8.

Differunt hæc dua libellorum species, quòd in conuentionali contineri debet conclusio seu petitio, sed in accusationis libello sufficit, si factum seu crimen, v. g. homicidij narretur adiunctis circumstantiis personæ, loci, temporis, sicuti præscribitur in cit. l. libellorum; nam cognito & probato crimine, Iudex ex officio pœnam imponere cogitur, seu, quam lex definiuit, seu quam ipse arbitrabitur, si definita non est. Ceterum si pœna applicanda sit actori v. g. iniuriam passo, tum ea in libello peti debet, similiter si iuxta consuetudinem regionis pœna seu multa partim fisco applicetur, & partim parti læsæ, tum etiam peti debet, & quidem absolute, vt pecuniaria pœna decernatur, nam exacta postea diuidetur inter fiscum & actorem, sicuti notauit Angelus. S. pœnalis. vers. vnum